



W. B. 4.

424

# HISTORIA REHABEAMI

EX

ORACVLIS SACRIS ECCLESIAST. CAP. II, 18. 19.

1 REG. XII, ET 2 CHRONIC. X, XI. XII.  
OBVIIS

ILLVSTRATA,

ET

COMMENTATIONIBVS PHILOLOGICIS  
AC HISTORICIS  
AVCTA,

A

D. IO. RVDOLPHO KIESLINGIO

PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. LIPSIENS.



ap. T

IENAE,

EX OFFICINA MARGGRAFIANA

M D C C LIII.

# HISTORIA RHABEAMI

XL

ORACULARIS AVICIRAE CECLESIAST. CAP. II. 18-19.  
HIC XIX. ET CHRONICA T. XX. IN  
OCTAVI

LITERATURA

ta

COMMENTATIONES RHABEAMI PHONOLOGICIS  
AD TITULOS  
AUGUSTI

## DIO RUBOLPHO RHABEAMI

1702. 4/5. ORD. IN AED. PHON. LIBR.

MANUSCRIP



АНКЕТЫ  
АМЕРИКАНСКОМУ АНОНСУ  
ДЛЯ ОБРАЗОВАНИЯ



§. I.

**M**ortalium conditionem, si res humanas ac caducas species, profecto deprehendes variis vicissitudinibus, iisque plerumque periculosis et fatalibus, obnoxiam. Quin et optima de prole spes, magnum certe parentum solatium, tam fragilis est et dubia, ut cum veritatis firmamento cecinerit **HORATIVS** \*)

*Damnoſa quid non imminuit dies?*

*Aetas parentum, peior auis, tulit,*

*Nos nequiores, mox datus*

*Progeniem vitiosorem.*

Verum quidem est, nihil dulcius suaviusque a natura nobis datum esse, teste **CICERONE**; \*\*) quam suos cuique liberos: at magnis tamen pericolosisque haec felicitas laborat difficultatibus. Tantum enim abest, ut nati semper expectationi de ipsis conceptae faciant satis aduliores facti,

et

\*) Lib. III. Od. VI.

\*\*) Orat. post redditum ad **Quirites**.

A

et custodibus suis remotis, ipsorum rationibus relieti, ut potius non raro a recto virtutis, et pietatis desuetant tramite, et spem, desideriumque parentum turpiter decipient. Atque hanc ipsam flebilem hominum sortem deplorare videtur Salomo, de sobole, et imperii sui herede dubius haerens et anceps, utrum bonaे indolis ac frugis futurus sit, nec ne? Morti iam fuit proximus Ecclesiastes, funestamque reipublicae mutationem, suam post mortem, futuram praenunciauit, quod praeagium ipso eventu est confirmatum. Certe li praeagia aliquid diuini habent, quod omnino illa habuisse in Iacobi filii nouimus, hoc ipsum Salomonis de filio augurium maximae esse auctoritatis, nec non ponderis adserere nulli dubitamus. Diuinus ille Ecclesiastes futuram, quae post mortem instabat, rerum suarum admotum glorioсarum vicissitudinem considerans, multis ex indicis, et coniecturis haud inualidis praeagiebat, filium, quem habuit regni sui heredem, Rehabeamum, sapientiae, virtutum, et morum paternorum futurum esse dissimilium in haec erupit verba:

בְּרַע עַלְיָהּ קְמִשָּׁהּ שֶׁנְגַעַת בֵּרְכָּהּ פְּרַתְּנָאָתְךָ וְרַכְּבָּרְכָּהּ  
*et odi ego omnem laborem meum, quo ego laborans sum sub sole: quia reliquerus sum eum homini, qui erit post me. Et quis scit, num sapiens futurus fit, an stultus? attamen dominabitur omni meo labori; quo laboravi, et in quo sapiens fui sub sole. Etiam hoc vanitas est.*  
 וְשָׁנָאָתְךָ אֲנִי אֶת-כָּל-עַמְּלֵי  
*Ecclesiast. Cap. II. v. 18. 19.*  
 שָׁאַנְיָהּ עַמְּלֵי תְּחִתָּה דְּשָׁעַט שָׁאַנְיָהּ נָאָדָם שִׁיחָה אֲחָרָיו וּמִי  
 יָרַע הַמְּכָס וּרְוחָה אוֹסָלָה וּשְׁלָט נְכָלָעָלִי שְׁעַמְּלָתִי וּשְׁחַכְמָתִי:  
 Haud in eassum laborabimus has

has iustas Salomonis, de posteris, querelas curatus indagatur, nec non demonstraturi verbosius, non vanam esse, quae animum huius regis excruciat, de sôbole, curam. Ope-  
rae erit preium totam huius infelicitatis Rehabeami vitam, et  
res ab eodem secus gestas, quas delineandas quondam suscep-  
pit AEGID. STRAVCHIVS \*) penitus introspicere. Ete-  
nim satis perlustrata laudati STRAVCHII dissertatione,  
deprehendimus, illum prima tantum huius historiae deli-  
basse argumenta, forte reliqua pertraclaturum, nisi in-  
ter has ipsas meditationes, uti auguramus, morte prae-  
peditus calamum deposuisse aucto. Pertexamus itaque hanc  
telam, et difficiliora quaedam, quae sicco praeterit pede  
STRAVCHIVS, addamus argumenta.

## §. II.

En boni Salomonis querela a multis nullo non  
tempore instituta parentibus! Aquila ferox imbel-  
lem procreauerat columbam. Eam sortem non raro  
accidere parentibus, sua ad Telemachum oratione ad-  
modum graui, ac suau exponit Minerua, illum ipsum op-  
timae spei iuuenem hunc in modum allocuta apud HOME-  
RVM \*\*)

Τηλεμαχ', οὐδὲ ὅπιθεν κανος ἐστεταψαί, οὐδὲ ἀνοημαν.

Ἐτι δέος νοι στε πατέρος ἐνεστάνταψα, μενος ην,

Οιος ἐκενος ἦν τελεσταψα, ἔργον τε ἐπος τε

Ου δ' ει και γέστοι γονος, καὶ Πηνελοπεῖης,

A 2

\*) Dissert. de Rehabeami regis Israelitar. vita. in Thesaur. Menthen.  
Tom. I. p. 474. seq.

\*\*) Odyss. B. vers. 270. edit. Barnes. p. 44. seq.

'Ου σε γέπειτα ἐόλπα τελευτῆσιν, ἀμεμονᾶς  
Παυροὶ γαρ τοι παιδεῖς ὄμοιοι κατεῖ πελονταῖ,  
'Οι πλεονεῖς κακίας παυροὶ δὲ τε πατροὶ ἀφείεις.

*Telemache, neque in posterum ignaus erit, neque solidus,  
Si quidem tibi tui patris instillata est indoles bona;  
Qualis ille erat ad perficiendum opusque dictumque,  
Non sane continuo vanum iter erit, neque imperfectum:  
Si vero non illius esses filius, et Penelopes,  
Non sane praeterea sperarem te perfecturum esse, quae  
moliris.*

*Pauci enim filii similes patri sunt;  
Plerique peiores; pauci vero parentibus meliores.*

Eam Mineruae sententiam ex tripode quasi prolatam quotidiana experientia, optima rerum magistra, innumeris fere documentis demonstrat, quin et confirmat, plerosque filios parentibus esse peiores; paucos autem iisdem meliores, quod fatum lacruminis deplorandum Salomon, procul dubio, has excusfit querelas. Consideraturi enim regum Iudae, et Israeli seriem, pauci, si Iosaphatum, Hiskiam, et Iosiam excipias, parentibus suis fuerunt prudentiores, magisque pios, plerique vero illis nequiores ac deteriores, e quorum censu vix Salomo eximi poterit, quia optima regni primordia, luxuria, et idololatria in decursu sui regiminis pessime commaculauit, et a pietate optimi ac sanctissimi parentis recessit longius.

§. III.

Qui in nominibus saepe cum transmutatione litterarum coniunctis, arcana venantur, id nominis Rehabeam a radice **רְחֵבָם** vastari, dirimere volunt deducere, ita ut significet deuastatorem populi. Liceat autem euentus rerum hoc augurium omnino confirmet; non tamen dicere ausim, vel ipsum Salomonem in nominis impositione animo tale quid voluisse, vel hoc nomen suis natalibus tam infastum indicare omen. Profecto non leuis est inter dictiones **רְחֵבָם** deuastari, et **רְחַבָּה** dilatari, dissensio. Prout igitur primis temporibus parentes liberis talia plerumque dederunt nomina, quae vel pia vota, vel certum aliquem statum, vel denique tenerum animi erga illos proderent affectum; ita Salomo hoc nomine, quo ornauit filium, nihil aliud prae gaudio, et animi desiderio indicare voluit, quam recens natum futurum esse aliquando imperii, et populi ducem, seu imperatorem semper Augustum. Eam notionem hoc verbum Rehabeam, sustinere, ex ipso fonte patet, quod Matth. HILLERV\*) et RAVANELLV\*) scite obseruarunt. Mutationem autem huius verbi in aliis versionibus admissam tantopere non curamus, quia lobricum est, veras Hebraeorum notiones, vel ob inscitiam huius linguae, vel genium aliarum linguarum, vti monet Theodor. HACKSPANIUS \*\*\*) ad amissim reddere. Ast quam tur-

\*) Onomastic. Sacr. p. 916.

\*\*) Biblioth. S. Part. II. p. 907.

\*\*\*) Miscellan. S. Lib. II. Cap. VIII. p. 263.

piter fecellerit Salomonem augurium, vel hoc ipso praefatio ante mortem emisso haud occulte declarauit.

## §. IV.

Non leue est, quod deplorat sapientissimus Ecclesiastes, rerum humanarum fatum, quo vsu evenit, ut mortales rebus admodum amplis, nec non sapienter instructis defuncti, praeclara sua negotia, opes, et imperia hominibus quandoque flultis ac desidiosis, qui nulla prouersus nitescunt animi praestantia, cum morte tradant. *Primo*, si rem ex vtroque consideramus latere, illacrimat prudentissimus Salomo vanitati admirandorum suorum, quae regimine functus praefecit, operum, quorum odijum, seu potius taedium ipsum iam capit. Verbum quippe **N****I****V** in sensu nauiae, taedii, et fastidii est frequentissimum, quod ex Ies. I. 14. Amos. V. 21. et aliis, quae collegit Mar. CALASIVS, \*) dictis euidenter appetet. Quam significationem quoque admittunt Mart. GEIERVS. \*\*) Conrad. DIETERICVS \*\*\*) et Thom. CARTWRIGHTVS, \*\*\*\*). Non tamen videtur, Salomonem opera sua, quae supra descripsit, odio aliquo prosequi, aut ob vanitatem, et fragilitatem eadem detestatum esse, sed admodum moleste, et aegre ferre, eadem indignis, et flultis, qui vel praestantissima nostra facta parui et flocci aestimant, et illa quandoque ex insania sannis excipiunt, post mortem esse relinquenda. Non negauerim multa voluptuosa,

\*) Concordant. Hebr. Tom. IV. p. 680.

\*\*) Commentar. ad h. l. p. 70.

\*\*\*) Commentar. ad h. l. p. 312.

\*\*\*\*) Commentar. ad h. l. p. 13.

sa, et sumtuosa exstruxisse Salomonem aedificia, et alia peregrisse facinora, quae magis ad voluptatem, atque splendorum, quam ad Reipublicae emolumentum, et veri Dei cultum spectare poterant; attamen multis etiam illustribus, potissimum si templum Hierosolymitanum consideras, defunctus est negotiis, quorum taedium ipsum capere poterat nullum. Nemo ex vero improbauerit magnifica templi stupendi, aedium regiarum, murorum circa urbem ductorum, et aliorum munimentorum opera, quibus et decus, et praesidium conciliauit regno suo amplissimo Rex omnium fere mortalium sapientissimus. Horum omnium tantum abest, ut poenitere potuerit augustissimum regem. Manum a rebus Salomonis insigniter peractis retraho, quas *Abbas Gallicus* \*) et *MARCHIO de St. PHILIPPO* \*\*) verbosius decantarunt. Cum pondere itaque ad haec facinora laude digna addit Salomo, quod illa sapienter, nec temere fecerit. Tambene ac sapienter instruxerat Salomo res et sacras, et publicas, ut respublica Iudaica ad summum euecta esset dignitatis, et felicitatis fastigium vicinique imperii videretur maxime formidanda. At, quae longo tempore, nec non indefesso labore prudenter egerat Salomo, uno temporis articulo perdidit Rehabeamus. Non igitur ex vano desiderio rebus suis se oblectandi, et iisdem longius fruendi, sed ex animi aegritudine, ob mores heredis male compositos, hanc protulit querelam.

## S. V.

Id ipsum secundo confirmant haec verba  
 שָׁנְנִי חַבּוֹ  
 לְאַרְם

\*) La vie de Salomon par Abbe de Choisy Par.

\*\*) La Monarchie des Hebreux. Tom. I, la vie, Salomon, p. 186,

**לְאָרֹם:** *quia ego homini relinquam, nimisrum hunc, quem prudenter institui, laborem. Non satis est, nos, quando vitam cum morte commutamus, nostras opes incertis, & dubiis, deficiente prole, saepe tradere homuncionibus, sed haec calamitas eo potissimum nomine augetur, quod illi heredes haud raro sunt homines exiguae auctoritatis, & vix unius assis aestimandi, quos propterea appellat Ecclesiastes communis nomine אָרֹם hominem, per contemnum.* Nemo nescit, hoc verbum naturae humanae originem, omnibus tam sapientibus, quam stolidis communem, innumeris in sacri codicis locis indicare, saepe tamen cum fale, & pondere opponi verbo שִׁיר, viro, qui se in rebus suis bene gerendis praefstat virum, quod ex huius dictioonis usu apparet Psalm. XXII. 7. Num. XXVII. 16. 18. Prius igitur verbum naturam, natalesque omnium hominum, posterius autem animi virtutes, & praefstantiam significat. Quamquam enim homines in universum omnes una gaudeant origine, iisdemque, quae ad hominem formandum spectant, partibus; non tamen omnes naturam in tribuendis animi dotibus habent suauitatem. Magnum est inter homines, si animi indolem species, discriminem. Multos offendes, qui praeter speciem humanam vix tantillum humani habent. Nec minor est census illorum virorum, qui molles sunt & effoemintati, ut in sacris tabulis, ac profanis libris per ignominiam, atque contemptum nominentur foeminae, & foeminum pro genere masculino\*) ponatur. Illi, quos recensui, vili nomine dicuntur homines, qui opponuntur viris, qui ne-

\*) Glaffii Philolog. S. Lib. III. Tract. I, Can. XXL p. 611.

necessariis ad res prudenter, ac feliciter peragendas sunt  
instructi virtutibus, & triplex quasi circa pecus habent  
robur.

## §. VI.

*Tertia tandem molestiae causa est ignorantia ומי יודע חכם יהוח או סכל* & quis sit, an sapientius futurus sit, an stolidus? Novum propositio & ingens tristitiae argumentum! Quanto enim maior est felicitas, si nostra bona sapientibus, & bene formatis committere possumus heredibus, tanto tristior est nostra conditio, si successores praeuidemus tales, qui institutis nostris insultant, eademque ex amentia nec mutant solum, sed etiam pessime concoquunt. Bene obseruat GEIERS\*) supralaudatus: Ecclesiastem hanc ignorantiam rerum futurarum per interrogationem aliquam proponere, neque rem decidere. Nemo enim firmum semper, & indubitat ferre potest de heredibus suis iudicium, utrum bonae, an malae indolis futuri sint. Optima saepe spes de liberis concepta fallit parentes, nec raro illi, de quibus res omnis videbatur desperata, ad virtutem redeunt ac frugem, & ineuntis aetatis vitia egrediis emendant virtutibus. Potuit insuper tener, quo forte erga filium ferebatur parens, amor obstat, quo minus omnem de illo deponeret spem. Ipsa ceteroquin, qua usus est Salomo, vox סכל talis significat hominem, qui reclac rationis vsu desilitur, & illecebris, persuasionibusque aliorum incusat rerum, quae ad salutem vergunt, rationem ha-

B

bet

\*) l. c. p. 71.

bet nullam. Satis dextre סכל & sibi mutuo opponuntur hoc ipso in Salomonis effato. Sapientis enim est, non ea tantum, quae ante pedes sunt, videre, sed in futurum etiam prospicere; inepti vero animi, rebus tantum praesentibus inhiare, quo sensu legitur Ecclesiast. Cap. X,  
 14. Quae quum ita sint, nemo non videt, haec optime cum Rehabeam rebus conspirare, quod postea invictis demonstrabo argumentis. Quae vero demum sit heredum conditio; sive sapientes, sive desipientes sint futuri, certum tamen est, illos nostris dominari rebus. Particulam va rectius exprimi per *tamen* vel *nihilominus*, quam per *qui*, uti *DRVSIVS* opinatur, omnino statuo, cuius rei multa exhibet documenta *NOLDIVS* \*) Sic itaque sensus est, licet vel maxime stolidus sit rerum mearum heres, tamen, seu nihilominus mea opera, regnum, & opes occupabit.

## S. VII.

Isthaec omnia in vita humana vsu evenire, ipse Ecclesiastes suo edocuit exemplo, & nisi me fallunt omnia, digito quasi indice, suum filium, regiae dignitatis heredem, sed valde ineptum, & amentem, hac oratione designauit. Quum enim sapientissimus esset, dubium est nullum, quin desipientis hominis documenta in filio Rehabeam primo detexerit oculo. Difficile quoque est, creditu tam longa, qua usus est consuetudine filii sui, quid intra imos animi recessus lateret, non explorasse parentem. Vix ulli simulationi tam sagaci, & acuto parenti relictus erat locus. Videtur quoque Ecclesiastes senio iam confectus in hoc

\*) Concordans, Partic. Hebr. Chald. p. 307.

hoc ultimo, quod vitae adhuc toleranda reliquum erat, spacio, omnes temporis articulos ad accuratum nonsolum vitae suae iam actae, et iam decurrentis, sed & futuri regiminis examen serio exstituendum collegisse, & de herede, post mortem, ad gubernaculum regni provehendo sapienter cogitasse. Recie profecto illi agunt, qui cum IO. GOTTL. CARPZOVIO \*) arbitrantur, hunc librum sub extrema vitae, & regiminis tempora esse consignatum, & illum vanitatis ac poenitentiae iam actae testem. Id, quod tota huius libelli compages satis luculenter exponit. Unicum tantum, tot ex uxoribus, & mulierculis habuit, cui regnum relinquere poterat, filium regium, de quo res omnis erat periculosa, nisi ferme deplorata. Praevidebat divino admonitus oraculo, 1 Reg. XI. 30. seq. regnum esse dividendum; agnoscebat, Rehabeamum deliciis in aula splendidissima innutritum, et superstitionum fasciis iam involutum, pessimum fore regni Iudaici moderatorem. Etenim ad eos iam iam peruererat Rehabeamus annos, patre suo prope sexagenario fasces imperii deponente, quibus optime intelligi poterat, quid valerent ipsius humeri, et quicquid ferre recusarent. Quod praesagium Salomonis de filio prolatum, licet omni veritate sit maius, non tamen dixerim spiritu prophetico esse emissum siquidem, vti supra dixi, tam ex vaticinio Ahiae, quam ex moribus nati satis iam intellexerat parens talem, quem deinceps habuerunt, res ipsius omnino esse habituras euentum. Iuuabit nunc breuiter huius

\*) Introduct. ad Lib. Bibl. V. T. Part. II. ad. h. 1. p. 211. sq.

Rehabeami perscrutari historiam multis stolidae mentis signis refertam, ex qua postea luce, quod aiunt, meridiana clarius pateseat, non vano, irritoque aliquo metu, sed rerum futurarum prouidentia haec auguratum fuisse Salomonem. Nonnulla vero in hac historia Rehabeami delineanda, argumenta distincte nobis sunt consideranda, ut aequus rerum censor dijudicare possit, hanc Salomonis querelam piam esse ac aequam. Perapte ceteroquin in haec Salomonis verba commentatur Augustin. CALMETVS:\*) Homo naturaliter amat sua opera, et cupit, ut, quae ipse constituit, vigeant, et illi, quos suos heredes scribit, suae quoque sicut voluntatis, et consiliorum heredes. Metuit sapiens, ne sebi succedat insipiens, qui ea dissipet omnia, quae ipse collegit, atque omnia sua confilia subuerterat. Haec est Salomonis aegritudo. Praenouisse videtur ea, quae Roboamo filio suo, et heredi erant euentura, qui per imprudentiam, iacturam fecit amplissimae partis regni patris sui.

## §. VIII.

Inter ea, quae in historia Rehabeami sunt commemoranda, locum obtinet primum, quaestio illa non omni difficultate vacua, quo aetatis anno ad imperium adspirarit? Si 1 Reg. XIV, 21. 2 Chronic. XII, 13. introspicias capita primo oculo deprehendes, Rehabeamum iam unum, et quadraginta annos attigisse, cum ad clavum regni gubernandi accederet. Duo vero huic calculo nonnullis ob-

flare

\*) Opp. Commentar. Tom. V. ad. h. l. p. 16.

stare videntur scrupuli, quorum alter a nimis tenera Salomonis aetate, alter autem ex 2 Chronic. XIII, 7. petitur. Primum, quod dubias traxit historicorum sententias impedimentum, in nimis tenella Salomonis aetate positum est. Acutiores historiae sacrae conditores hunc Salomoni filium natum esse, anno saltem uno, antequam imperio a Dauide admoueretur, cum veritate adserunt. Qui annus natalis Rehabe<sup>mo</sup> omnino est assignandus, si annorum, aetatis, et regiminis ipsius se bene habere, et laudatis oraculis respondere debeat ordo. Vrgent autem viri Chronologiae sacrae studiosi, tam teneram Salomonis aetatem ad contrahendum coniubium vix ac ne vix quidem esse aptum. Credibile, porro aiunt, vix esse, sanctissimum parentem, eumque de Messia ex sua stirpe nascituro certum concessisse, ut non modo peregrinam, sed et Ammonitidem puellam, qualis fuit Naama, duceret in matrimonium filius. Quae duo impedimenta iam e medio sunt tollenda. Quod ad priorem attinet difficultatem, illa facile solui potest. Certum enim est, quam demum ineas aetatis Salomoneae constituendae rationem, illum saltem ad annos sedecim, ex ratione vero Natalis ALEXANDRI\*) et IO. ME YERI \*\*) fere ad viginti annos adspirasse, quae aetas, si vel maxime sedecim constitutas annos, ex moribus et insitutis Hebraeorum, qui, vt vagam, et foedam euitarent libidinem, coniugia maturarunt, ad nuptias ineundas omnino est idonea. Porro ex eo, quod i Reg. XI, 1. de adscitis variarum

B 3

gen.

\*) Histor. Ecclesiast. V. T. Diff. XXVI. p. 94.

\*\*) Annotat. ad Seder Olam Cap. XIV. p. 551.

gentium mulierculis, quarum amore, et lenociniis seductus est  
 Salomo, commemoratur, mihi sequi non videtur, illum non  
 antea in thorū adoptasse coniugem, praesertim, quem illa  
 strophā satis turpis ad ea demum pertineat tempora, quibus  
 luxu et mulierum blanditiis se totum tradidit Salomo. Si enim  
 seriem historiae Salomoneae attentius introspicias, sine  
 laborioso examine deprehendes, laudatum regem non sub  
 auspiciis sui regiminis statim in has nassas, amorisque va-  
 gi incidisse syrtes, sed eundem summam erga Deum verum  
 obseruasse pietatem, ac mentis iuxta ac corporis tenuisse  
 castitatem. Subtrahendi sunt primo anni septem, quibus  
 in extruendo templo fuit occupatus, intra quod imperii  
 spatium integer vitae extitit scelerisque purus. 1 Reg.  
 VI, 38. Abhorret a sanctitate Numinis diuini, illud  
 Salomonem simulata pietatis specie, et sucato sancti-  
 tatis animo Deo templum iam conditum consecran-  
 tem, sua praesentia omnium illustrissima atque gratosissi-  
 ma ornasse, ipsiusque preces publico nomine effusas tam  
 benigne audiuisse, nec non habuisse ratas. 1 Reg. VIII.  
 Casta quippe Deo mens est, castaque vult rogari mente.  
 Non dum illo tempore recessisse Salomonem a puriori Dei  
 cultu, omni caret scrupulo. Progressus est vterius, quod  
 historia luculenter commemorat, hic sapientissimus rex,  
 in hoc recto pietatis, et virtutis tramite, donec multis be-  
 neficiis diuinis, opibus Croesi praestantioribus, et splendore  
 regio vndique auctus, simulque, quod plerunque, in  
 rerum affluentia accidit, mutatus, voluptatibus, et deliciis  
 se se addixerit, nuntium suae salutis, et felicitatis flatori  
 turpiter missurus. Nulla proinde mihi cum Abbate  
 CHOI-

CHOISIO\*) aliisque est dubitatio, quin vitiosum illud  
commia ad dimidiā fere ipsius imperii partem sit trans-  
ferendum. Luxuriant enim animi rebus plerumque secun-  
dis. Suseepit, vt in viam redeam, Salomo hunc natum  
ex Naama, quantum ex calculo aetatis Rehabeami colligi-  
mus, anno certe primo, antequam ipsi regni deferretur sum-  
ma. Regnauit Salomo annos XL. 1 Reg. XI, 42. Cum igi-  
tur annum aetatis unum, et XL. attigisset Rehabeamus, an-  
tequam ad regiam eueheretur dignitatem, et imperaret,  
annos XVII. secundum 1 Reg. XIV, 21. plana est, me iudi-  
ce, computandi ratio, Rehabeamuni illo, quem indicaui  
temporis tractu esse natum. Satis apte haec Chrono-  
logorum diuortia composuit AVGVSTIN. TORNIEL-  
LVS\*\*) demonstrans, ex computo annorum XL. re-  
gni, et LXIV. aetatis Salomonis peruum esse, Re-  
habeamum non impuberem ad regiminis accessisse cla-  
uum. Si igitur vel maxime aetati Salomonis quatuor, quos  
addit TORNIELLVS, vel plures subtraxeris annos, cer-  
tum tamen erit, Salomonem annum aetatis prope vige-  
simum egisse, quem domus regia filio augeretur Reha-  
beamo. Silentium enim Scripturae sacrae, quo aetatis  
anno Salomo vitam mutauit cum morte, non impedit,  
quo minus valida fit temporis ratio a meis allata. Cer-  
tum enim est, Salomonem, ex hoc meo calculo, qui  
histo-

\*) Is. c. p. 167. 168.

\*\*) Tom. II. Annal. Saer. et Profan. ad ann. Mund. 3059. p. 32.

historiae sacrae innititur testimonio, prope sexagenarium rebus mortalium esse eruptum.

### §. IX.

Oritur nonnullis Chronologis inde scrupulus, quod Salomo se appellat puerum 1 Reg. III, 7. 1 Chron. XXII, 5. Sed haec dictio יְנָם apud Hebreos tam latissima est, ut iustum ac virilem non excludat aetatem, quod innumeris demonstrari potest exemplis. Tollit quoque ipse Dauides hanc scopam, dum Salomonem שְׁמַעֲנָה virum sapientem. 1 Reg. II, 9. adpellat. Puer autem ex linguae Hebraeae genio dicitur, quia nondum ad eam prouectiorem, qua homines decrescere solent, illo tempore peruenierat aetatem. Ita Iosua nominatur puer Exod. XXXIII, 10. aetate iam satis matura. Nulla igitur subsistit ratio, quo minus ante Dauidis obitum matrimonium contraxerit Salomo, filium, que ex Naama osculatus sit, Rehabeamum. Corruit quoque posterior dubitandi ratio a matrimonio cum Naama, virginе peregrina, deponita. Naama Ammonitis dicitur, de qua noua enascitur Historicorum concertatio. Vero videtur simile Io. Francisco BVDDEO,<sup>\*)</sup> illam Naamam forte fuisse ex mulieribus captiis, quae eiurata Gentilium superstitione, ad cultum Iudeorum accessisset sanctiorem, et Salomoni nupsisset, quae coniugia apud Iudeos nulla lege diuina fuissent prohibita. Aliam priori non secundam fuggerit Iacob. SALIANVS<sup>\*\*)</sup> sententiam, quae nostrum facile allicere posset consensum. In eam quippe

SA-

<sup>\*)</sup> Histor. Ecclesiast. V. T. Tom. II. Period. II. Sect. IV. p. 361.

<sup>\*\*) Annal. Ecclesiast. Tom. III. p. 404.</sup>

SALIANVS abit interpretationem, has nuptias cum Ammonitte, auctore ac suaſore Dauide esse conflatas, et Naamam filiam fuisse Sobi, filii Nahasi, Ammonitarum regis, quocum intimam aluit Dauides amicitiam, multaque in aduersa rerum suarum fortuna a patente, et filio recepit auxilia, quae depraedat ipſe Dauides 2 Sam. X, 1. 2. 3. Mentio fit 2 Samuel. XVII, 27. huius Sobi Ammonitici, qui habitauit Rabbae, et inopiam Dauidis fugientis benigna manu suis subleuauit opibus. Forte hic Sobus iam eo tempore, quo frater Hanon regno Ammonitico potiretur, et inimicum, aduersus Dauidem declararet animum, se in laudati regis tutelam tradiderat ac praesidium. Haud difficile est creditu, eundem fuisse proſelytum et ſacris Iudeorum initiatum. Matrimonium igitur cum filia initum tanto magis arctiorem ſtabilire poterat inter viramque partem coniunctionem. Vtrum autem ille Sobus in locum Hanonis, quem excuſſerat Dauides, deinceps fuerit ſurrogatus, dubium adhuc videtur, nec folide eſt euictum. Non tamen omni veritatis ſpecie illorum deſtituitur opinio, qui opinantur, hunc Sobum diademate regio, excuſſo iam, et extinto Hanone, fuisse ornatum. Tam amicitia, quam Dauides cum illo diu aluit, quam infenſus Hanonis animus, quem luculenter demofirarat, nobis fidem faciunt haud fallacem, hanc ſententiam a veritate non prorsus eſcē alienam. Prouide agendum et ſaluti publicae proſpiciendum erat, quae non niſi expulſo Hanone ſalva ſtare poterat et incolumis. Nec temeritatis notam nobis inuremus, ſi statuamus, Hanonem in proelio ſuccubuſſe. Biennium enim oppugnauit

C

Ioabus

Ioabus urbem Ammonitarum, satis munitam, quae appellatur Rabba. Rex Hanon forte excursionem fecit, sed ipse, ut plerique\*) credunt, in hac pugna mortem oppetiit. Respondet huic historiae, coronae Ammonitiae exauguratio, quae non accidisset, nisi rex vel oppressus, vel penitus extinctus fuisset. A vero non abludit, Dauide in hoc Ammonitarum regnum certis conditionibus in Sobum transtulisse, ita quidem, ut tributarium, quod illo temporis tractu solemne fuit, fecerit regem. 2 Sam. X, 1 sq. XI, 17. XII, 29. 30. 1 Chronic. XXI, 1. 2. Quam si concesseris sententiam, quam suam facit ST. PHILIPPVS HISPA-NVS,\*\*) res omnis erit salua. Quin et patesceret Dauide in hoc filii connubio res admodum tranquillas reddidisse et pacatas.

## §. X.

A veritate non alienum esse videtur, Davide auctore, sua foreque, quo amicitiam recoleret cum Sobo, atque imperium filii muniret fortius, hoc iniisse connubium Salomonem in parentem longe officiosissimum. Cum autem hoc matrimonium cum peregrina celebrandum intire non possent Iudaei, nisi deposita prius superstitione, fidem religioni, et sacris Iudaeorum dedisse Naamam, vix dubitare licet. Integrum fuisse Hebraeis cum his peregrinis, sed sacris Iudaeorum iustratis matrimonium contrahere mulierculis, constat ex Deut. XXI, 11. Quod rerum Hebraearum conditores, et indagatores GVIL. SVRENHV-

SIVS

\*) Histor. Vniuersal. ex Angl. Ling. versa Part. II. §. 33. p. 30.

\*\*) l. c. p. 241.

SIVS \*) IO. SELDENVS \*\*) IO. GOTTLLOB CARPZO-  
VIVS \*\*\*) et IO. CHRISTIAN. GENSELIVS †) ex anti-  
quitatibus Iudaicis scite demonstrarunt. Sic itaque SA-  
LIANVS cum BVDEO facilis negotio conciliari et hoc  
Salomonis matrimonium omni labore liberari potest. Quam-  
uis autem haec connubia cum proselytis Iudeis fuerint li-  
cita, plerumque tamen puriori populo fuerunt funesta,  
quod vel ipsius Salomonis confirmat exemplum. Quae  
si nunc perpendimus, non difficilis emergit ratio, de ma-  
tura huius regis sebole, quam ex Ammonitide est nactus  
Salomo.

## §. XI.

Oleum haud perdemus et operam aliquantis per  
causas huius matrimonii, ex virorum, quos iam adduxi-  
mus et postea excitabimus iudicio, nimis matrū, indaga-  
turi. Quae impulerunt Dauidem, ut Salomoni in optimo  
iuentutis flore constituto, de coniuge regia prospiceret,  
rationes, si recte sentimus, hae fere sunt. Dauides de  
Messia sua stirpe oriundo omnium certissimus, forte  
etiam a Nathane monitus, Salomonem huius augustissimi  
sospitatoris in sua gente auctorem regnique successorem fu-  
turum ex tota domo regia eligendum esse duxit. 2 Sam.  
VII, 12. 13. 1 Reg. I, 29. 30. Egregia hic filius regius

C 2 sua

\*) Opp. Mischnie. Part. I. Tr. de Matrim. p. 68.

\*\*) Vxor, Ebraica, Cap. XI. p. 128.

\*\*\*) In Apparatu ad Antiquit, Hebr. cap. III. p. 44. sq.

†) Obseru. S. de Ritib. circa mulierem in bello captam, a Iudeo in  
thorum cooptandam. p. 297.

suae pietatis, et sapientiae puer adhuc ediderat, duce usus  
Nathanae, specimina, ut nullus dubitaret parens, hunc  
optimae indolis principem iuuenem nutu diuino ad occu-  
panda regni imperia esse designatum. 2 Sam. XII, 24. 25  
Prout autem summa, et desideratissima piorum maiorum,  
quin et ipsius Davidis Messiae in humana forma manife-  
standi fuit expectatio, ita nihil prius duxit, nihilque sanctius  
parens, matrimonio mature a filio contrahendo. Nec  
obelo notanda est altera ratio, qua commotus id consilio  
cepit Davides. Agitabantur regios inter filios funesta,  
et clancularia consilia, quae ducibus, et antesignanis, Ab-  
solone, et Adonia, in publicas eruperant seditiones. Ne  
igitur res Salomonis, post parentis mortem fieret anceps,  
et fallax, sed satis tua, regium diadema viuus ipsi tra-  
dendum statuit Davides, certior iam factus, huius filii  
sobole, non vero Adoniae, aut Absolonis propagine  
mundi redemptorem effasciturum. His itaque rationibus  
satis grauibus atque ponderosis adduci potuit Davides, vt  
filio, quem in oculis ferebat, Salomoni, de coniuge,  
et regno mature prouideret. Non igitur videmus,  
cur nonnulli interpretes, ex hoc maturo Salomonis  
matrimonio, quod nostro quoque aeuo, non insolens  
est, grifhos, neclant et nodos.

## S. XII.

Agedum, dispiciamus nunc alterum, quod sanctioris  
historiae interpretes vexat, dubium, ex 2 Paralipp.  
XIII, 7. enatum, in quo filius Rehabeamī, Abia,  
ut animos Israelitarum, qui iam defecerant, demulceret  
et

et ad suas denuo traheret partes hac gravi vicitur oratione:  
 בְּנֵי שְׁלֹמֹה וּרְחָבֶעַ מִתְּחַדֵּר בְּלֵבָב. וְלֹא: חֲתֹקָן לְפָנֶיכֶם :  
 cum filius Salomonis Rehabeam esset puer, et mollius corde.  
 Vtrum ea, quae filium erga parentem decet, Abia usus sit  
 modestia, dum ipsum נָעַכְתָּ appellat, dictu est difficile.  
 Hoc ipsum verbum, vt iam monimus, varia, eaque  
 plena diuersa gaudet significatione. Indicat infantem non  
 solum aetate in tenella, sed et hominem in optimo aeta-  
 tis flore constitutum, quae posterior appellatio, Reha-  
 beamo non est deneganda. Vsurpatur autem haec dictio,  
 praeter iuuenilis aetatis conditionem, in sensu stuporis ac  
 stultitiae. Ecclesiast. X, 16. Ies. III, 4. LXV, 20. Ea  
 igitur huius verbi notio indicat hominem iusta quidem,  
 et prouectiori aetate instructum, sed tam stulti, et insulsi  
 animi, vt non dum ex ephebis excessisse, et pueriles in-  
 eptias depositisse videatur. Quem sensum huic vocabulo  
 quoque innatum, satis bene obseruat SALOM. DEY-  
 LIN GIVS \*) et רְחָבֶעַ rudem, petulantem, et cultioris di-  
 sciplinae impaticientem notare hominem adfirmat. Quae  
 puerilis et inepta rerum agendarum ratio adeo occupauit  
 Rehabeamum, vt nomen pueri adhuc rudis, et inertis  
 summo sustinuerit iure, licet vel maxime Abia hanc ma-  
 culam parenti iam defuncto, hoc nomine inurere noluerit.

### §. XIII.

Leguntur in illo, quod contemplamur, oraculo,  
 ulterius haec verba: וְלֹא לְבָב et mollius corde. Quae di-

C 3

ctio

\*) Mischl. Sc. 5, Obs. Part. 10, Exercitat. VIII, p. 771.

ctio significat vel animi mollitatem, vel timiditatem, qua posteriore notione legitur Leuit. XXVI, 36. Deut XX, 8. de illis, qui ob animi imbecillitatem, et formidinem ab exercitu aduersus hostes instruendo erant repellendi, ne timidiuscule agentes et castra, aciemque deferentes aliis iniicerent metum terroremque panicum, aut ordines turbarent instructos. Non proflus a vero aberrant, qui verba insupra allatis effatis illa animum nimis meticulosum indicant, praesertim si verbum וְלֹא verbo בְּנֵי adiungatur. Ambiguis quoque dictionibus vsi sunt septuaginta interpretes, verba ira reddentes: ποθαμη ἡν νεωτερος, και δειλος τη καιρδια. Quae dictioi δειλος, et δειλια, qua vtuntur interpretes, teste T R O M M I O \*) multis in locis tam mollioris, quam timidioris animi significat hominem. Quem sensum oracula N. T. Apoc. XXI. 8. II. Tim. I, 7. omnino admittunt. Certum est hoc verbum δειλος, leuitatis, timiditatis, et ignauiae sustinere potestatem, quod multis documentis exponunt STEPHANVS \*\*) et SVIDAS \*\*\*) Interim haec; bene inter se conciliari possunt. Etenim homines ad mollitem vsque eneruati, et deliciisque quasi effeminati pro animi indole, et affectu plerumque sunt leues, meticulosi, ac timidi nec firmam ac stabilem in rebus agendis obseruant constantiam, sed animo, prout fert rerum ratio, semper fluctuant. Si prospere procedunt

\*) Concordant. Gr. Tom. I. p. 336.

\*\*) Thesaur. L. Gr. Tom. I. p. 922.

\*\*\*) Lexic. Gr. Tom. I. p. 530. conf. Wolfii Cur. Philologicae ad Apoc. XXI, et 8. p. 605.

omnia, hi vilioris, leuiorisque animi viri statim sua ostendunt cornua, omnibus minacia; si res veniunt in periculum, cristas, et cum illis animum timidi deponunt, et omnis consilii se praebent expertes. Non prorsus timidum fuisse Rehabeamum ex ipfius historia patescit. 1 Reg. XII, 10. Nimium suis opibus, et copiis bene instructis confidens bellum iam aduersus Ierobeamum parabat, signaque illi inferre meditabatur, nisi vates sacer, Sameia, infeliciem belli exitum regi annunciasset, ipsumque omnibus precibus ab hoc funesto retraxisset conatu. Certior itaque de insusto congressu factus arma deponere satius esse duxit, quam se ultimis tradere periculis. De molli itaque ipsius animo interpretari mallem haec verba, quod ipse euentus confirmat, dum ministris suis, quorum familiaritate a pueritia vsus erat, sed rerum gerendarum valde ignaris, et voluptuosis, infra suam dignitatem, et imperii felicitatem indulxit, seposito optimo Seniorum consilio. Non desunt viri acutiores, qui hanc Abiae orationem parum honorifice de parente prolatam esse autumant, hoc saltem subterfugio rem ad salutem conuertentes; haec Abiam, non vt filium, sed regem in publica causa, et quidem ad eos locutum fuisse, quibus invisus erat Rehabeamus. Opinatus est Abia hanc reverentiā parenti iam demortuo debitam sapienter esse in loco negligendam, vt animos Israelitarum demulceret, et eo facilius eosdem ad obsequium revocaret. Vtrum vero haec Abiae oratio praesenti negotio cum populo exacerbato, nec non fastuoso, agendo fuerit attemperata, aliis examinandam relinquimus. Blanditiis potius, et promissis dura admodum Israelitaum ceruix

ceruix erat frangenda, quam iniusta, et temeraria defectio-  
nis causa denuo proponenda.

## §. XIII.

Ex his, quae prolixè disputavi appareat, nodum in  
scirpo quaerere LVDOV. CAPPELLVM \*) IO CLERI-  
CVM \*\*) HVG. GROTIUM \*\*\*) nec non MATTI. PE-  
TITDIDERIVM \*\*\*\*) sensui sacro aliquam vim inferen-  
tes, nec non statuminantes; non legendum esse  
ארכיעים ואחר שנה quadrageinta et vnum annos, sed po-  
tius עשרים ואחר שנה, vnum et viginti annos. Audiamus  
*Cappellum* hanc in modum disputantem: „Par error omnino  
„videtur. 1 Reg. XIV, 21. et 2 Chron. XII, 13. Vbi Ro-  
„boam dicitur annos natus 41. quum coepit regnare. Vi-  
„detur enim omnino his locis legendum 21. Nam Robo-  
„mi mater fuit Nahama Ammonitis. 1 Reg. XIV. 21. Sa-  
„lomo autem regnauit annos tantum 40. Si ergo Robo-  
„am natus fuit annos 41. quum coepit regnare, su-  
„ceptus fuerat, et natus Salomoni anno uno antequam  
„coepisset regnare, tatkui tum erat adhuc puer ferme  
„1 Chron. XX, 5. et 1 Reg. III, 7. et viuebat pater eius  
„Dauid: an ergo tum ea aetate duxisset in vxorem Naha-  
„mam Ammonitidem, viuente, et vidente patre Dauide,  
„maxime cum 1 Reg. II, 1. Postquam Salomo narratur  
„aedificasse domum Domini, et domum regiam, verta-

tur

\*) Critic. S. Lib. I. Cab. X. p. 38.

\*\*) Commentar. ad Reg. XIV. 21. p. 412.

\*\*\*) Annot. ad h. l. p. 283.

\*\*\*\*) Dissert. Historio. Critic. in Script. S. Diff. XXXIII. p. 315.

„tur illi probro, quod amauerit foeminas extraneas ex Moabitis, Ammonitis, domum autem Domini, et domum regiam absolvit anno regni sui vigesimo, ut planum est ex I Reg. IX, 10. Itaque videtur omnino Salomon paulo ante perfectam illam vtramque domum, coepisse amare, et ducere in uxores mulieres Moabitidas, et Ammonitidas, atque inter eas Nahamam, ex qua sequente anno suscepit Roboamum, qui propterea potuit esse natus anno nos 21. quum Salomon obiit.“ Fingit CAPPELLVS errores, et funes ex arena confidere annititur, quin et scrupulosa sua critica sanctis Dei nuntiis aliquam temere aspergit maculam. Concedit CAPPELLVS, ex calculo aetatis Salomonis, si admittatur, planum esse, Rehabeatum natum esse anno uno, antequam rerum potiretur summa ipsius parens. Quo in computo nihil, quod veritati sit aduersum, offendio. Nam aetas, quam iam attigerat Salomo, non obstat, quo minus amplexus coniugis castos appetere, et liberos procreare potuerit. Nec regni ipsi delati aduersatur historia, quum omnino unius saltus anni interuum inter ipsam Dauidis mortem, et plenam regiminis gubernationem a Salomone suscepitam sit constituendum. Haec tenus mecum consentit, et contra seipsum gladium gerit criticus. Maioribus autem difficultatibus inuoluta est altera CAPPELLI opinio, qua statuit, elapsa demum viginti annorum decursu, et instructis aedificiis, tam sarcis, quam regiis, Salomonem de ineundo cogitasse matrimonio. Ex illis, quae excitantur, oraculis solide demonstrari nequit, Salomonem licito castoque tamdiu abstinuisse amore, multo magis credibile est, illum hoc,

D

quem

quem dixi, aetatis articulo, pio parentis consilio, nuptias celebrasse, ut regno de regia, in tanto rerum discri-  
mine, prospiceret sobole. Quod vero ad vagas, quibus  
deinceps captus irretitusque est, attinet libidines, illis  
pristinæ pietatis, et virtutis nunc immemor, decrescen-  
te iam aetate, opibus et deliciis suffusus litauit rex. Qua  
in parte sacer mihi suffragatur auctor, qui i Reg. IX,  
1. 2. 3. perspicuis commemorat verbis, Salomonem illo  
tempore, quo iam viginti annos regno praefuerat, et rem  
bene gesserat, diuino adhuc commercio, et familiarita-  
tate fuisse ornatum; quae felicitas eidem certe non afful-  
sisset, si cum hac foeda, et spurca se commaculasset Ve-  
nere, dicamque Deo scripisset. Progredior, nunc ad  
naenias Harduini dispellendas. *Cappellum* sequitur 10.  
HARDVINVS \*) alio tamen instituto temporum computo-  
vsls. Quo suae sententiae ingeniosae opituletur HAR-  
DVINVS, nouam excogitauit aeram, quam ignoro. Lege,  
sodes, ipsius verba: „Quadraginta, et vnius anni erat  
„Roboam, cum regnare coepisset; decem, et septem an-  
„nos regnauit in Ierusalem ciuitate 2 Reg. XIV, 21. et  
„2 Chronic. XII, 13. hoc est: annus hic quadragesimus  
„primus, decurrentis a senis amplius mensibus, aere Sa-  
„lomonicae, sive ex quo Salomo Roboamii pater, iu-  
„bente Dauide, vncius in regem est. Fecit Salomonis in-  
„gens in populo commendatio, ex quo praeferunt condi-  
„tor templi fuit, vt ex illo populus aeram numerari vel-  
„let, quo de orientalium populorum more inferius ac

fa-

\*) Opp. Select. in Chronolog. V. T. p. 536.

„saepiuscule dicturi sumus. Verum scissio regni Israelis „a Iuda hunc calculum, siue hanc aeram abrupit. Certe „adolescentem fuisse Roboamum, cum regni habenas su- „cepit, conceptis verbis sacrae literae docent, quibus pro- „fecto mos non est eum appellare adolescentem, aut iuue- „nem, qui sit natus annos amplius quadraginta.,, Et paucis intersitis lineis. „Non videtur ergo Roboam an- „num vicesimum excessisse, cum regnum capeisset.,, Infir- maui supra argumenta, a iuuenili Rehabeami aetate peti- ta. Demonstravi satis, hunc adolescentis titulum non ad pri- mos vel adolescentiae, vel iuuentutis annos esse restringen- dum. Facilis ceteroquin esset haec computandi ratio, si anni quibusdam defraudentur mensibus, et noua constituatur numeranda aera. Qui si locum haberet computus, omnium Patriarcharum, et reliquorum virorum aetatem admodum prouectiorem ad paucitatem redigerem. Aera quoque Salo- monea nullo firmo stabilitur firmamento, quam Iudaei igno- rant. Notae sunt aliorum populorum aerae longiora temporis spatia comprehendentes, sed de hac aera Salomonea altum est silentium. Evidem conesserim cum AEG. STRAVCHIO\*) protensa manu HARDVINO, cum templo exstructo no- uam quasi coepisse templi epocham, sed inde non sequitur illam vstatum, et a primis inde incunabulis receptum sub- uertisse annorum ciuilium computum. Aera potius He- braeorum ab exitu Israelitarum ex Aegypto deducitur, quod templi fundamenta dicuntur iacta anno quadrageutesimo

D 2

octo.

\*) Breuiar. Chronologic. Lib. IV. cap. XIII. de Epochâ Templi Salomo- nici p. 414. Ig.

octogesimo ab exitu Israeltitanum ex Aegypto. I Reg. VI. i. Suo igitur ex ingenio nouam fingit HARDVINVS aeram, et rem a multis chronologis iam in lucem productam, denuo tenebris obscurat. Nec 10. V OSSII \*) chronologia, de aetate Rehabeami instituta, bene procedit, qua aetatem eiusdem regis ita circumcidit, ut cum textu sacro aegre conciliari queat. Nimirum ita computum colligit Voffius: Salomonem aetatis anno XV. ad imperium adspirasse, anno IV. templum exstruendum coepisse; anno XXI. aerae templi Salomonici, regni eius XXIV. aetatis XXX. natum esse Rehabeamum; anno denique aerae templi XXXVII. regni, aetatis LV. Rehabeamum patri suo Salomoni mortuo successisse. Qui calculus si haberet locum, non solum ipsa Rehabeami aetas, sed et regimen contra omnem scripturae sacrae fidem veniret in periculum. Multo magis se mihi probat laudati STRAVCHII \*\*) computus, quem sequi omnino oportet, nisi vitii, mendique diuinos accusare velis scriptores. Ita vero rationem init: Regnauit Salomon vniuersim annos XL. atque ita XXXVI. postquam fundamenta templi iacta fuerunt; erat insuper Rehabeamus annorum XLI. cum patri succederet in regno, unde oportet eum natum esse anno quinto ante templi epocham. Eadem suo suffragio confirmat rationem TORNIELLVS \*\*\*). Qui has rationes accurate expenderit, facile intelliget, errorem satis grauem errasse SVLPITIVM SEVERVM\*\*\*\*) CHRIST.

SCHOTT-

\*) Canon Chronologic. p. 196.

\*\*) Breuiar. Chronologic. p. 578.

\*\*\*) Annal. S. et Prof. Tom. I. ad. an. mundi. 3018. p. 465.

\*\*\*\*) Histor. Sacr. Lib. I. Cap. XLI. p. 132.

SCHOTTANVM\*) aliosque complures, quia etatem Rehabeami ad sedecim annos inminuerunt. SVLPI CIVM tamen SEVERVM excusarunt SIGONIVS, et DRVSIVS,\*\*) monentes, illum locum esse mendosum, vitiumque ex notis XLI. et XVI. exortum.

## §. XIV.

Ex historia, quam supra diluimus, sacra, testibus IAC. VSSERIO\*\*\* ARTHVR. BEDFORDO\*\*\*\*) et IO. FR. BVDDEO †) planum est atque perium, Rehabeamum anno aetatis LVIII. naturae reddidisse debitum. Annos enim XVII. imperio praefuit, proinde calculus annorum cum aetate ipsius optime conspirat, et ad annum aetatis XLI. antequam regimini, quod vacuefecerat Salomo, admoueretur, se quam maximè extendit. Quem aetatis ac reginoris computum quoque admittit FLAV. IOSEPHVS ††) alias rei chronologicae, ex more Iudeorum, haud peritus, ac studiosus. Expendimus insuper connubium Salomonis cum Naama Ammonitide initum, et ad maximam veritatis perduximus speciem, nostras rationes non omni destitui auctoritatis pondere nec rem eas in angustias esse deductam, ut anachronismum, aut alium fin-

D 3

ga-

\*) Bibliothec. Historic. E. V. Test. Tom. II. p. 816.

\*\*) In Annotat. ad Sulp. Sever. pag. cit.

\*\*\*) Annal. V. Test. p. 33.

\*\*\*\*) The Scripture Chronology, Book VI. Chap. II. p. 345.

†) Histor. Ecclesiast. V. T. p. 345.

††) Opp. Tom. I. Antiqu. Iudaic. Lib. VIII. Cap. X. p. 450. edit.

Hauercamp.

gamus Scriptionis errorem. Non igitur opus est, ut adsit ad discutiendum hunc nodum Gordium τενεδιος πελεκυς. Male sane cum Historia, et Chronologia ageretur, si a fontibus pro lubitu ad lacunas, aliasque temporum vices substituendas abire, et quamlibet opinionem primo oculo speciosam adoptare vellemus. Licet enim non insiciemur, teste SAM. SCHVCKFORDO\*) quandoque falsos calculos vel ex oscitantia, vel ex imperitia amanuensium, vel denique ex diuersa aliarum gentium computandi ratione, in nonnullas tabularum sacrarum versiones irrepsisse; nostrum tamen oraculum hoc mendo vacat, et exemplaria hominum, temporumque vitio corrupta iam dadum ex aliis peruetustis codicibus sunt emendata. Fauent nostro, quod tractavimus, effato, praeter codicem diuinitus scriptum, versiones aliae\*\*) quae hunc calculum presso sequuntur pede.

## §. XV.

Ipsum nunc Rehabeami regimen attentis oculis est considerandum, ut videamus non irrita, ac meticuloſa fuisse, quae de filio suo effudit Ecclesiastes, praefagia. Hocce alterum tractationis argumentum proprius ad res Rehabeami accedit. Infelicissima suis consiliis prorsus insanis fecit regiminis sui primodia. Conuocatis enim prope Sichemum, publicis comitiis plus dementiae, quam prudentiae in illis dirigendis prodidit Rehabeamus regno patrio admotus. Seniores populi, optimatesque ad-

regem

\*) Harmon. S. et Prof. Lib. I. p. 36.

\*\*) Brian. Waltonii Bibl. Polyglott. ad. h. I.

regem detulerunt orationem satis suauem, ac deuotam, iugum, quod imposuerat populo Salomo, nimis durum, et vix humeris vterius esse sustinendum; optare itaque populum, vt leuius illud redderet et mitius. Quibus desideriis, si annueret rex, iam omnium suffragio ad solium regium euehendus, ipsius regnum satis tranquillum futurum esse ac pacatum. Nemo forte ex populi proceribus ad Rehabeamum missis fuit, qui non censuerit, ad studium, obsequiumque populi in nouo, quod auspicabatur rex, regimine conciliandum, regem vltro his precibus locum esse daturum. At rex, dimissa seniorum legatione, consultationes cum suis tractauit sanctorum consiliorum ministris, quorum senes ac prudentes seniora, nec non mitiora suggesterunt consilia, iuniores autem, quorum consuetudine imprimis vtebatur Rehabeamus, atrocia, et violencia subministrarunt, quae ipsi hanc stolidam, et asperam expresserunt responsonem: „Pater meus posuit super vos iugum graue, ego vero addam super iugum vestrum multo grauius ac durius. Pater meus caecidit vos flagellis, ego vero caedam vos scorpiobibus.” 1 Reg. XII, 11. En responsum non ex oraculo Hierosolymitano, sed ex dementis animi recessu prolatum! *Campanellae* potius et *Machiaelli* hoc nomine obtemperauit Rehabeamus principio politico, eidemque lubrico, quam piis, et moderatis **GVIL. NICHOLLSII<sup>\*)</sup>** consiliis. Demonstrauit, quem modo dixi, **NICHOLLSIUS** *Anglus* argumentis satis validis, et exemplis omni exceptione

<sup>\*)</sup> Lib. de Religione Principis. Cap. X. p. 170. sq.

ceptione maioribus, aduersus haec Rerumpublicarum carcinomata, quae tamen suo perierunt indicio; auariam et nimium tributorum censum, ciuium animos facile exacerbare, eosdemque eo adigere, ut officii, et pietatis erga Principes immemores molitiones Reipublicæ noxias tentent, et iugum iusto durius excutiant. Gratia vero Principis, et lene imperium animos subditorum mirum in modum exstiment, ut libera manu ea, quae sunt Caesaris, suo offerant domino. Quod multis testimoniosis ex historia profana dilui, et tam felicitate, quam detrimento amplissimorum imperiorum vberius confirmari posset, si nostra id postularet instituti ratio.

### §. XVI.

Dispiciemus nunc paulisper, quis huius responsi verus sit sensus. Verbum טוֹשׁ a טוֹשׁ descendit, et significat flagellum, seu loricam, qua corpus circumpungitur, qua in notione teste G VIL ROBERTSONIO\*) est frequentissimum. Huius generis flagello poenae rei castigabantur apud Iudeos, sed non ad necem usque, quia hoc supplicii instrumentum mitius aestimabatur atque lenius. Quid? Quod haec dictio flagellum notat, quo utimur in concitandis equis, si umbra virgae se regi non patientur. Prov. XXVI, 3. Ast grauius supplicium minatur Israelitis Rehabeamus potestate regia intumescens nomine עקרבים seu scorpionibus. Manifestum est, hac dictione non animal terrestre et pestiferum, sed flagri genus seu tica

\*) Thesaur. Lingv. S. ad h. v. P. 1137.

tica, et lorica durius intelligi, quod scorpionum inflar,  
 aculeos habuit recuruos, quibus corpus hominum suppliciis  
 addictorum miserrimam inspeciem est dilaceratum. Quod  
 flagelli genus, si rem consideres, cum Russorum flag-  
 ris, quae Knuthae dicuntur, comparari potest; si quidem illae  
 loricae quibus homo ad necem usque castigatur, vincis circa  
 syma ferreis sunt instructae, ut homo iteratis ictibus caelus  
 necari possit. Frequens fuit hoc flagrum apud durissimas, et  
 crudelissimas gentes, et iis potissimum seruis inflictum, de  
 quorum vita domini parum erant solliciti. Quin et flagro-  
 rum seu scorpionum in crueiatibus Martyrum fit mentio,  
 de quo supplicii genere omnium acutissimo agunt MART.  
 DEL RIVS \*) SAM. BOCHARTVS \*\*) IOSEPH. LAUREN-  
 TIVS \*\*\*) et CASP. SAGITTARIVS. \*\*\*\*) Tam insulsa,  
 et intempesta oratio animos Israelitarum tanto certe per-  
 culit terrore, iramque excitauit tam feruidam, ut partes  
 regni Iudaici desererent, et Ierobeatum decem, quae des-  
 cererant, tribuum regem omnium consensu feligerent, et praef-  
 acta declararent fronte. Aliam viam ad reducendas Israe-  
 litas ad Ierobeatum transfugas, iam feligendam esse statuit  
 Rehabeamus, qui id consilio iniit, ut suavi oratione, et le-  
 nociniis sui ministri usus, frenum his ciuibus satis exacerbatis  
 subdole iniiceret. Oratio saepe conficit, quod hostile ferrum  
 conficere non potest: eoque consilio ad decem tribus misit  
 Adoramum vctigalium praefectum rex, ut tentaret, an

E

muta-

\*) Adagia S. V. T. p. 255.

\*\*) Hierozoic. Part. II. Lib. 10. Cap. XXIX. p. 644.

\*\*\*) Polymath. Lib. III. Synops. X. p. 247.

\*\*\*\*) De cruciatus. Martyr. Cap. III. §. LVII, p. 92.

mutata persona, et blanditiis, lenociniisque usus Israeli-tas ad obsequium reducere posset, sed tanto iam excande-scabant feroce animi, ut populus in furorem, rabiemque actus lapidibus peteret hunc pacis oratorem, eumque prorsus obrueret. Verbis prius, quam armis omnia experiri voluit Rehabeamus; sed ab hoc consilio per vatem Se-miam auertebatur, contentus nunc sua, quia mutari non poterat, sorte. Planum hic habes, et luculentum stultitiae temeritatisque, de qua conqueritur Ecclesiastes, docu-mentum.

## §. XVII.

Nouum se prodit insaniae testimonium. Si enim insulsum hoc Rehabeami contempleris responsum Senioribus Israelitarum datum, illud non solum ex inberbium, et imperitorum iuuenum oraculo, sed ex nimis turgida etiam; de se suisque meritis, profectum est opinione. Videbat paren-tem, sua sapientia, regnum opibus, exercitu, apparatu ad apicem usque dignitatis, splendoris, ac potentiae instru-xisse summum. Se neque sapientiae, neque potentiae au-ctoritate parenti esse censurum, sed tanti, quod habebat Sa-lomo, nominis mensuram, se superaturum certissime confide-bat. His occaecatus persuasionum umbris valde fallacibus, sua persona, ac dignitate aestimabat indignum, paulisper indulgere subditis, qui cristas erigere videbantur, quos propterea maiori severitate, quam Salomo, autumabat coercendos. Non satis didicerat hic rex monitoribus asper, non minorem esse gloriam, parta tueri, quam eadem ac-quirere. At prout sunt homines leues, et rerum geren-darum expertes, qui, cum Icaro alis destituto, ad solem ten-dunt,

dunt, ita, Rehabeamus nimium suis opibus, et rebus confidebat secundis. Cogitabat de gloria a parente accepta insigniter augenda; sed suis magnis, hoc puerili pruritu, excidebat ausis. Etenim teste HORATIO<sup>\*)</sup>

*Vis consilii expers, mole ruit sua,  
Vim temperatam Di quoque prouehunt.*

Maximo cum imperii detimento iterum secutus est Rehabeamus MACHIAVELLI\*\*) consilium, ex quo melius est principem metui; quam amari. MACHIAVELLI regulam in re bene gerenda esse lubricam, et periculosa plena sunt antiquitatis, et historiae monumenta. Satius egisset, suisque rebus melius consuluisse, si saniorem adoptasset NICHOLSI<sup>\*\*\*</sup>) sententiam, qua animi mansuetudine, et gratia enitescere debent Principes, quo aucupio vni ciuium animos sibi reddunt obsequiosissimos, studiosissimosque.

### §. XVIII.

Filum commentationis nunc ad res Rehabeami cum Ierobeamo gestas ducere placet, quae i Reg. XII, 12. 24. verbosius commemorantur. Quantum ex historiae serie, nexus colligo, Ierobeamus, precibus, et desideriis Israelitarum ex Aegypto euocatus vix de regno nouo stabiliendo, cogitauit, vel saltем in tanto rerum discrimine dubius haesit, et anceps, quid consilii esset capiendum. Memor quidem erat vaticinii diuini ab Ahia facti, i Reg. XI, 29. ast multa erant, quae hanc spem eludere poterant, impedimenta, variis demum periculis, ac artibus superanda.

E 2 Po-

\*) Lib. III. ode. IV.

\*\*) De Principe. Cap. XVII. p. 92.

\*\*\*) Cit. lib. Cap. VII. p. 133.

Populus adhuc fluctuabat, et non sine causa metuebat, hanc secessionem cultui diuino, in templo Hierosolymitano, instituto futuram esse nocuam. Quid? quod Ierobeamus regnum sibi a populo delatum vindicare ambigebat. Agebat iam tanquam orator, et arbiter causam populi coram Rehabeamo in comitiis, quae celebrabantur, solemnibus. v. 3-12. nec sua, hoc temporis articulo, cornua regi Iudee monstrabat minacia. Poterat itaque leui negocio, et lenoniciis populum seditionis in suas trahere partes, et huic, quod ipsi imminebat, periculo prudenter, mederi Rex. Verum enim vero, ob oraculum diuinum omnium iustissimum, omnia huius improbi regis consilia fuerunt irrita iuxta ac violentia. Commemoratur v. 30. bellum fuisse per totum vitæ spatium inter Rehabeamum et Ierobeamum, sed non sine graui ratione (statuunt 10. CLERICVS \*) ac AVGUSTIN. CALMETVS \*\* signa non esse illata, sed tantum excusiones, molitiones, et clandestinos agitatos motus, quia ab hoc consilio a vate sacro reuocabatur Rehabeamus.

## §. XIX.

Deploratis nunc omnibus rebus, otio, voluptatibus, ac idololatriæ totum se dedit Rehabeamus, quo consilio suis rationibus pessime consuluit, quod ultimum est nostræ commentationis caput. Per triennium saltem res suas felicititer egit saepe excitatus rex, confluentibus vndeque Israëlitis, qui puriorem amabant cultum, et ex aduerso superstitionis, quam instituerat Ierobeamus, vitulorum religionem toto detestabantur animo. Muniuit rex urbes, et

pro-

\*) Commentar. ad. h. l. p. 414.

\*\*) Histoire Vniuerselle Tom. I. Liv. V. §, LI. p. 404.

propugnula extruxit, quo securè viueret, neque insultibus vicinorum esset expositus. Ast breuis fuit haec regni Iudaici felicitas. Cum enim rex strigosa, nec non propria diosa Gentilium instauraret sacra, sanctiori populo admodum pernicioſa, grauis eum infœcta est a iusto sui nominis, et dignitatis vindice, poena. Quinto enim regni sui anno rex Aegyptiorum *Sisacus* ingenti hominum copia, maximoque armorum strepitu inuasit regnum Iudaicum 2 Chronic. XII. 2. 3. Quod illustre historiae momentum ab omni difficultate haud liberum, nunc est delibandum.

## §. XX.

In Oceanum difficultatum scoparumque admodum periculorum nunc nos immittimus, *Sisacum*, de quo palmaria est concertatio, a tenebris Aegyptiorum in lucem protrahentes. Omnis autem difficultas exinde potissimum oritur, quia tanta est in *Manethonis* tabulis ab EVSEBIO adseruatis dissensio, tantaque inter IVL. AFRICANVM, EVPOLEMVM, EVSEBIVM, et SYNCCELLVM inde enata ambiguitas, ut prius Cretenses, quam huius Chronologiae conditores, ac commentatores inter se inuicem conciliaueris. Augetur illud, quod diximus, periculum, et nouis inuoluit scopolis, quia diuersae dantur in Chronologia Aegyptiorum, Dynastiae, Tinitarum in primis, Memphis, Elephantinorum, Diospolitarum, Pastorum, Tanitarum Saitarum, Bubastitarum, Aethiopum, ut alias omittamus classes. Imperium enim in varias Dynastias diuissum, et variis bellis, et seditionibus implicitum intestinis, id vitii Chronologiae contraxit, ut illa sit oppido perplexa, et difficulter cum Chronologia aliarum gentium concilietur.

E 3 Nec

Nec ipse. IACOB PERIZONIVS\*), qui in hoc opere multum desudauit, diffitetur, historiam, et Chronologiam Aegyptiorum esse incertissimam. Opus profecto est virgula diuina, in hoc *Sisac* feliciter denudando. In varias quippe partes hoc nomen traxit interpres, illisque multa excitauit dubia, quae iam sunt exploranda, et, si fieri possit, e mediore mouenda. SISACVM seu SESACVM, qui tam immanem regno Iudaico, sub Rehabeami regimine, intulit cladem, fuisse *Sesofridem*, IO. MARSHAMVS\*\*) HERODOTI, et DIODORI SICVLII historia fultus, nimia cum confidentia arbitratur. Potuisse MARSHAMIVS in viam reduci FLAV. JOSEPHI\*\*\*) qui hunc iam suboleuit errorem, sententia, sed tamen solidorem falsae suae persuasionis confutationem recepit a laudato IAC. PERIZONIO\*\*\*\*) qui solide euicit, *Marshamum* longius a scopo aberrasse. Res a *Sesofride* gestae, et a DIODORO SICVLO, nec non HEROPOTO traditae ita omnino sunt comparatae, ut cum historia Rehabeami minime conspirent. Etenim ex tabulis Dynastiarum apud Aegyptios, et historia profana luculenter patet, *Sesofridem* multis retro saeculis inclaruisse, et aetatem Rehabeami neutiquam attigisse, quod series regum Aegyptiorum satis evidenter tradit. Ut taceamus, bellum a *Sesofride* in Asia gestum a scriptoribus recentioris demum aetatis esse commemoratum, ex quo apparet, huius regis historiam in antiquissima omnino incidisse tempora, quia Grac-

\*) Aegyptiar. Origin. et Tempor. Antiquiss. inuestigat Cap. II. p. 26.  
et Cap. III. et 10. p. 27. sq.

\*\*) Can. Chronic. Sect. XIV. p. 376.

\*\*\*) Opp. Tom. I. Antiquitt. Iudaic. Lib. VIII. Cap. X. p. 449.

\*\*\*\*) Lib. Citat. Cap. X. p. 120. sq.

Graeci longe lateque in Asia dispersi, procul dubio huius expeditionis et calamitatis non fuissent expertes. Est sine dubio hic *Sesostris*, ex Manethonis monumentis, XII. Dynastiae Diopolitarum rex tertius, vt tradit *EVSEBIUS*<sup>\*)</sup>. Euictum proinde est, hunc *Sesostridem* proxime, post exitum Israelitarum ex Aegypto, floruisse, Asiam ingenti hominum vi occupasse, et eius aetatem, ex *PERIZONII*<sup>\*\*) calculo, forsitan in tempora Iudicum incidisse. Argumenta a *PERIZONIO* allata tanti sunt roboris, vt, in debellanda hac *Marsami* opinione, nostro non indigeant calamo.</sup>

## S. XXI.

*JACOBVS SALIANVS*<sup>\*\*\*)</sup> sententiarum diuertia non componit, sed auget nouis, in eam abeundo opinionem, hunc, quem inuestigamus, *SISACVM*, esse *SABACVM* seu *Sabuconem*, nec non *Seuechum*. Facile quidem tolli potest discrimen, quod in his nominibus occurrit, vt obseruat *PERIZONIVS*<sup>\*\*\*\*)</sup> maius tamen inde exoritur periculum, si res ipsas cum Salamanassare gestas circumspete contuleris. Qui *sabacum* feligunt, in nouam se praecipites dant charybdin, ex qua difficuler emergent, Misit Hoseas ad Soum Aegypti regem legatos, vt ipsi aduersus Salamanassarem ferret suppetias, quod i Reg. XVII, 4. legimus relatum. Ast quantum se hic offert temporis intervalum! Regno Israelitico, quod constituit Ierobeamus, finem attulit

<sup>\*)</sup> Canon. Ilagogic. Lib. II. p. 131.<sup>\*\*) L. c. Cap. XVI. p. 261<sup>o</sup> conf. Histor. Vniuersal. ex Lingua. Angl. translata. Part. III. Sect. VIII. §. 632. p. 524<sup>o</sup> sq.</sup><sup>\*\*\*)</sup> Annal. Ecclesiast. Tom. IV. p. 16.<sup>\*\*\*\*)</sup> L. c. Cap. XIII. p. 208.

attulit Hoseas longe funestissimum, a Salmanassare in Assyriam cum suis inquilihis deportatus. Quodsi igitur temporis rationem ab Ierobeamo regni Israelitici conditore duxeris, intelliges, duo fere effluxisse saecula, priusquam hic Hoseas ultimus regni Israelitici rex adspiraret ad regimen, illudque ferali deuastatione, nec non infelici deportatione clauderet. Satius agitur, si hunc *Soum*, *Zeam* vel *Zetam*, prout in historia Aegyptiaca appellatur, et in XXIII. Dynastia Tanitarum ab **Eusebio**<sup>\*)</sup> collocatur, fuisse adserueris. Fauet huic calculo res Senacheribis cum Hischia Iudee rege, gesta, quae vix decem annorum spatium interponit, quod historia luculenter exponit. Nullus itaque dubito, quin album adiiciam calculum **PERIZONIO**<sup>\*\*)</sup> et **ROLLINO**<sup>\*\*\*)</sup> hunc *Soum* ex *Manethonis* tabula esse *Zeam* seu *Zetam*. Legi tamen possunt argumenta Perizonii, nec non Pezronii aliorumque, ad Lydium lapidem a **IO. FRANCISC. BVDDEO**<sup>\*\*\*\*)</sup> ducta, et solide excussa. Euictum saltem est, hunc *Soum* a Sisaco multis differre stadiis, quod meae concertationis est caput. Nec tantopere **SETHI CALVISII**<sup>††)</sup> immoror rationi, qui hanc scyllam ita euitare conatur, ut statuat, hunc **SISACVM** fuisse Susennum Dynastiae XXI. Tanitarum regem VIII. secundum *Manethonis* tabulam. Si haec **CALVISII** opinio locum habeat, ponendum est, hunc **SUSENNUM** esse ante **SESON**.

## CHEM

<sup>\*)</sup> L. c. p. 133.<sup>\*\*) L. c. p. 211.</sup><sup>\*\*\*)</sup> Histoire des Egyptiens Tom. I. Pare. III. p. 121.<sup>\*\*\*\*)</sup> Histor Ecclesiast. I. c. Sect. IV. p. 699.<sup>††)</sup> Opp. Chronolog. p. 30.

CHEM praeſuſſe Aegyptiorum imperio. EVSEBIVM \*)  
ſi audis, et SYNCCELLVM \*\*) deprehendes, illum eſſe  
Vaphrem, ſeu Vennephem, Salomonis ſacerum, quem  
inſequitur [Sefonchis rex LXII. qui SESACVS ſeu SVS-  
SACIM paſſim dicitur. Sic feſtis bene habet.

## §. XXII.

Eam quoque ingrediuntur viam PAVLL. PEZRO-  
NIVS \*\*\*) FRID. SPANHEMIUS \*\*\*\*) et NAT. ALEX-  
ANDER †) qui SISACVM, modo Sesonchem modo SE-  
MENDEM ſeu SMEDEM primum Dynastiae XXI. regem  
eſſe volunt, qui inimicum aduerſus Salomonis familiam  
ipſi tamen, ob connubium, coniunctiſſimam declararafſet  
animum. Commendat ſe haec ſententia, quae pro SMEDE  
agit IAC. PERIZONIO ††) qui tamen Vertumno eſt mu-  
tabilior, et eas, quas aliquo modo ſoluit, denuo neclit  
naffas. Verum eſt, SMEDEM primum eſſe regem Dynastiae  
ſupra adductae, Sesonchem autem Dynastiae XXII. Buba-  
ſtitarum primum, et inde haud leuidenſe occurere tempo-

ris

\*) I. cit. p. 133. conf. Praeparat. Euangel. Lib. IX. XXXI. XXXII.  
p. 448.

\*\*) Chronograph. p. 141. opp. Byzant. Tom. V.

\*\*\*) Antiquit. Tempor. Restitut. Cap. XIII. p. 208. fq. conf. quae in  
hunc rem diſputantur apud Buddeum Hift. Ecclef. V. T. Tom. II. p.  
697. er Hiftor. Vniuersal. ex Angl. lingui. translat. P. I. p. 632.  
P. 524.

\*\*\*\*) Opp. Tom. I. Hiftor. Ecclef. V. T. Epoch. VI. p. 376.

†) Hift. Ecclefiaſt. V. T. Cap. IV. p. 133.

††) L. c. Cap. XIV. p. 229.

ris interuallum, ast hac ratione illa componi possunt difidia, si statuatur, Sesonchem seu SVSSACIMVM, quoque nomen SMEDIS sustinuisse. Non enim insolens est, nostra quoque aetate, liberis regiis plura imponere nomina. Planum tamen est, nomen SVSSACIMI, SESACI, et SE-  
SONCHIS magis ad nomen Hebraeum SESAC accedere,  
et cum fide Chronologica conspirare, quam SEMEN-  
DIS seu SMEDIS. Otia itaque erunt inter nos, si lis-  
tantum circa nomen, non autem ipsam personam ver-  
tur. Si igitur hunc, quem cum optimis Chronologis  
constituumus, calculum admiseris, omnis de hoc SISACO,  
exspirabit concertatio. Res nunc ita procedit. VAP-  
PHRES seu VENNEPHEs, est Pharao, cuius filiam in ma-  
trimonium duxit Salomo. Eum sequitur SISACVS, qui  
SVSSACIM et Sesonches dicitur, cuius aetas in ultima  
Salomonis, et prima Rehabeami incidit tempora. No-  
num inde nostrae sententiae accedit veritatis firmamen-  
tum, quia i Reg. XI, 40. commemoratur, Ierobeamum,  
viuo adhuc Salomone, ad regem Aegyptiorum, qui appellatur  
Sisacus, confugisse, ut sibi, salutique suae prouideret.  
Ille igitur SISACVS fuit VAPHRIS in regimine successor,  
qui in tabulis Aegyptiorum SVSSACIM, seu SESON-  
CHES appellatur. Nulla igitur fingenda est intercapedo,  
nedum ad secula longius remota temere recurrentum.  
Suffragantur huic rationi IAG. VSSERIVS\*) ROLLI-  
NVS\*\*) SIMONIVS\*\*\*) vt alios rei Chronologicae cor-  
ditors

\*) Annal. Eccles. V. et N. T. p. 33.

\*\*) Histoire des Egyptiens Tom. I. p. 119.

\*\*\*) Diction. sur la Bible Tom. II. p. 559.

ditores, SCALIGERVM, DIONYS. PETAVIVM, quorum calculos componere huius loci non est, silentio praetercamus. Avero ceteroquin non abhorret, vel ob res a Sefostride insigniter gestas, vel ob mutationem nominis SVS-SACIM, et Sesonchis in Sefostridis verbum adductos esse nonnullos historicos, ut ipsi hanc expeditionem contra Rehabeamum suscep tam temere adscriperint. Mittimus nunc hanc chronologorum diffensionem, et nostram, quam de hoc SISACO fouemus, sententiam, vterius munimus.

S. XXIII.

Agedum, demus nunc vela antrorum, et ipsum SACI dispiciamus nomen. Ne lubricis, et ficalneis nostra sententia nitatur persuasionibus, nouo, eoque satis firmo stabilienda erit fundamento. Incidit, haec dum meditamur, in mentem, hanc nominum SVSSACIM, et SESOVEHIS variationem forte apud Iudeos ex linguae suae natura et indole esse ortam. Verbum enim פְּשִׁׁירָה non est Hebraeum, sed aliunde accersendum. Descendunt, nisi fallimur, huius dictiōnis natales ex lingua Arabica, in qua سَكَبْ seu SAKA significat, teste IAC. GOLIO\*) rigauit, potum, seu aquam praebuit, ita ut SVSSACIM vel SISACVS notevirum riuosimilem, qui vel beneficiis pleno gurgite aliorum rigat riuulos, vel potentia sua aliorum regiones inundat, prout Nilus Aegyptiorum terras inundare solet. Vtrum hoc nomen huic regi, vel ob potentiam amplissimam, vel rerum gestarum magnitudinem, vel denique ob humanitatem, et benignitatem tributum sit,

F 2 nor

<sup>a)</sup> Lexic. Arabic. ad. h. v. p. 1187.

nou diuidicamus. Si igitur miram verborum Arabicorum, Aegyptiorum, nec non Hebraeorum flexionem, quin et vel incrementum, vel decrementum litterarum species, veritati maxime est consentaneum, Hebraeos haec nomina **svssacim** vel **sesonchis**, pro linguae suae indeole pronunciasse **פְּשִׁיעָה** seu *Sisac*. Graeci tandem suam adhucuerunt formationem, ex qua variatione, nominis confusio facile oriri potuit, quae multis aliis accidit nominibus. Graeci tamen planius illud vocabulum expresserunt et **εστακη** illud pronunciarunt, quod cum **svssacim** et **sesonchis** magis conuenit. Infirmitatur dubium ex hoc nomine, eiusdemque variatione enatum vterius, si consuetudinem, usumque nominum apud Aegyptios expendas curatius. Etenim solemne fuit Aegyptiorum regibus, praeter nomen plerisque regibus proprium, adoptare alia alcititia, quod aliorum regnorum imperatoribus quoque fuit usitatum. Adscierunt, ex more suo, reges Aegyptiorum nomina alia, seu cognomina, quibus ab aliis discernerentur luculentius. Ita Pharao occurrit so seu elatus. 2 Reg, XVII, 4. Pharao, Necho seu **NECOS**, hoc est claudus. 2 Reg. XXIII, 29. Pharao **HOPURA**, id est, pudendus, Ierem. XLIV, 30. Extra omnem dubitationis aleam est positum, hos reges illa sibi vindicasse cognomina, ut vel rerum gestarum magnitudinem, vel dignitatem vel, alias denique animi, et corporis proderent notas. Non nemo scit, eundem cognominum usum in Syria apud Antiochos, in Persia apud Darios, aliosque Principes suisce receptionem. Quin imo eandem consuetudinem obseruarunt complures in Germania, Gallia, Angliaque Imperatores,

Re.

Reges, et Principes, vti BECMANVS\*) nitida exposuit  
commentatione. Selegerunt itaque sacri Scriptores no-  
men ascititum potius, quam natuum, vt eo luculentius  
pateret, quem Aegyptiorum regem suo tangerent acu.  
Catalogus insuper Dynastiarum ex Chronico Aegyptiaco  
collectus, licet nonnullis laboret lacunis, his Chrono-  
nologorum dissidiis feliciter ponit obicem, et his tenebris  
maximam affundit lucem. Putamus eum, quem indi-  
cauimus, calculum magis ad veritatem accedere, quam  
MARSHAMI, aliorumque Chronologorum ordinem ad-  
modum salebrosum, et multis difficultatibus obnoxium.  
Si quis autem hoc dubium ad pleniorum duxerit lucem,  
nostrasque solide confutauerit rationes, magnus nobis  
erit Apollo. Hic ipse, de quo agimus SISACVS opum  
potentissimus facile eo adegit Rehabeamum, ob defectio-  
nem decem tribuum, ad incitas, angustiasque iam redac-  
tum, vt se ipsi submitteret, omnesque templi, ac regiae  
aulae diuicias satis copiosas eidem traderet, ne totius re-  
gni pateretur iacturam. SISACVM vindicta diuina id ne-  
gotii suscepisse impulsum, sacrae docent tabulae; Accedit  
tamen alia causa \*\*) ea nimirum, vt SISACVS Ierobe-  
ami, qui ipsi erat amicissimus, rebus valde periculosis fer-  
ret suppetias, auxiliumque, quin et opes viresque regni Iu-  
daici adhuc satis validas circumcidet, et hoc aucupio,  
ac consilio vsus, utrique imperaret regno. Concinit no-  
bis rerum gestarum historia, hunc Ierobeamum, patria  
profugum fidei, ac clientelae SISACI se totum tradidisse,

F 3

vt

\*) De Cognomentis Principum. Francofurt. ad Viadr.

\*\*) Lege Meyeri Annotat. in Seder Olam Cap. XVI. p. 795. conf. Christ.  
Bened. Michaelis Annotat. ad 2 Chron. XII. 2. 3. p. 688.

ut tutus, securusque contra infidias Salomonis ibidem latet. 1. Reg. XI, 40. Quae postea, Salomone rebus mortalium defuncto, essent expediunda, cum SISACO tractauit Ierobeamus negotia, ipsiusque opibus ac armis fatus ad regnum exoptate adspirauit. Haec sunt, quae strictis calamis in Rehabeami historiam amentiae, calamitatisque plenam commentari placuit, argumenta.

## §. XXIV.

Excusis nunc palmarii, quae ad delineandas res a Rehabeamo infeliciter gestas facere possunt, argumentis, operam haud perdemus et oleum, illud decretum, quo dividendae essent duodecim tribus populi Israelitici, diuinum, illiusque causas, quantum humana illas indagare potest facultas, penitus consideraturi. Tam feralem sententiam non sine graui ratione a Deo in hunc populum esse latam, huncce in modum referunt sanctissimi conditores: כִּי־חוֹתָה סְכָה פְּעַם יוֹהָנָסָן הַקּוֹיָם אֶת־דְּבָרָיו: quia a Deo erat auersio, ut firmaret Deus verbum suum. 1 Reg. XII, 15. 2 Chron. X, 15. Quae verba, vt cedro sunt digna; ita non omni scopa videntur vacua, nisi sensum, neruumque eorum paulo attentius introspicias, omnemque, quam exinde corradunt nonnulli Reformati, longius remoueas mali causam, quam iuxta comma 24. Deo satis temere attribuunt. Vindicanda, tersisque argumentis munienda est Dei sanctitas, quam Reformati hac in parte friuole arrodunt, nec non laedunt turpiter. Verum enim vero supersunt media, quibus hunc Isthmum leui opera trans fodere possimus. Decreta diuina, non ab.

absoluta aliqua agendi, volendique potestate, ut pro ratione sit voluntas, sed summa rerum in orbe futurarum profluunt prouidentia, eaque omnibus numeris absoluta. Nihil sapientissimus huius vniuersi arbiter decernit absolute aliquo decreto, sed ea tantum statuminat, de quibus ab aeterno praeuidit, illa hunc habitura esse eventum. Introspexit sanctissimus rerum humanarum moderator, omnes, quoconque demum veniant nomine, causas, earundemque conditionem, cursum, ac effectum. Quibus causis, citra enixum, et molestum indagandi, cognoscendique studium expensis, demum init decretum, suae sapientiae, bonitati, ac iustitiae maxime consentaneum. Summa est Dei etiam, in decretis, nostro iudicio, maxime periculosis et difficultinibus, sapientia, si ipsius directionem attendas, ac finem. Ipsa quoque, quae adhibuit diuinus scriptor, verba neutiquam huic strigosae furent sententiae. Si enim notionem verbi **בְּ** species, illud testibus, NOLDIO \*) IO. HENR. MAIO \*\*) et CHRIST. BENED. MICHAELIS \*\*\*) hic non causam aliquam, sed occasionem, et rei notat eventum. Id ipsum insuper verbum **בְּכָה** luculenter prodit, quod a radice **בַּ**, circumiuit, vertit se, descendit. Talem vero haec dictio significat **Μεταγένεση** uti septuaginta Interpretes illam reddiderunt, seu rerum omnium mutationem, qua haec res admodum perniciosa, a culpa hominum profecta, Deo permittente, et actionem externam gubernante ita dirigebatur, ut haec funesta

decem

\*) Concordant. Laud. p. 367.

\*\*) Oeconom. Iudaic. p. 243.

\*\*\*) Annotat. ad 2 Chronic. X. 15. p. 673.

decem tribuum defectio, ob peccata Salomonis, omnino accideret. Quodsi nunc ipsum huius, qua vſus est spiritus sanctus, dictionis expendas neruum, nulla in hac deploranda rerum Iudaciarum vicissitudine, a Deo praedicta, et ipso euentu confirmata, summo Numini adhaerabit macula. Notum quippe satis, cuiuscumque est, Deum, salua sua sanctitate, aequa ad hanc, atque alias actiones hominum vitiosas, ea, quae in ipsum nullam reiicit culpam, concurrere ratione. Spectat itaque haec historia ad concursum diuinum ad actiones mortalium malas, quas quidem permittit, sed ipsas praeuidet, auersatur, prohibet, impedit, et ad finem suae sapientiae, et iustitiae conuenientem, renitentibus etiam hominibus secus agentibus, sapienter tamen dirigit Deus. Dispiciatur vterius historia praecedentis capituli, in quo minatur Deus, se non Salomonis, sed filii demum tempore regnum esse ceſſurum. Cum igitur Rehabeamus parentis premeret vestigia, sanctioremque negligenter cultum, iuſſimam Deus habuit puniendi causam, poenamque illi inferendi, cui haec dissidia pefſime enata, praebuerunt ansam. Subtraxit regi suam, in tam arduis negotiis, gratiam oppido necessariam, et illum suis rationibus tradidit totum. Causa quidem huius defectionis nimia fuit Rehabeami erga populum acerbitas, sed ea ex libera huius regis proſluebat voluntate. Libertas agendi salua manebat Rehabeamo, nec vlla vi, neque physica, neque morali mouebatur, vt tam insulſam iuxta ac minacem pronunciaret in populum halcyonia expectantem, ſententiam. Nemo sapientiam Dei iure accusauerit, illumque in mali de-

deduxerit suspicionem, qui secum curatus reputauerit, integrum esse Deo, cum regnis, imperiisque ita agere, prout ipsius fert prouidentia, omnium benignissima. Potest illa, quae dixi, mundi imperia augere, immunuere rursus, in alios homines, quandoque noxios, ineptos, et nullo iure a natura ad eadem capeſſenda praeditos transferre, quin immo illa funditus extirpare. 1 Sam. XV, 28. Prov. XXVIII, 2. Dan. II, 20. Graues, licet eadem mortales fugiant, in his imperiorum mutationibus atque vicissitudinibus, latent causae, quas vel prorsus negligunt, vel serius ex euentu demum cognoscunt. Praeuiſio Dei, et praedicio rerum in populo Iudaico gendarum neque Rehabeamum ad hoc temerarium confilium, suauis ministrorum omnium pessimorum, ineundum, neque Ierobeamum ad hoc facinus suscipiendum follicitarunt. Exultat omnis inſinclus Rehabeamo a Deo suggestus, sed hoc confilium temere initum suo consulenti fuit pessimum.

## §. XXV.

Si quid valet iudicii acies, indagandique studium, me non extra chorum saltare aurumo, si palmarias huius, de quo ago, decreti causas ad haec potissimum reduxero momenta. Prima mihi causa est praeuiſio turpis illius, iuxta ac detestandae Israelitarum, a puriori cultu, defectionis, quam rationem adſert diuinus auctor. 1 Reg. XI, 33. seq. Res est Philologis ex

G L A S

GLASSIO \*) FRANZIO \*\*) alisque rerum exegeticarum conditoribus satis nota, sanctissimis Prophetis in moribus fuisse positum, res adhuc futuras, saepe verbis praeteriti temporis, ad maiorem vaticiniorum certitudinem proferre, cuius commatis multa prostant apud laudatos viros testimonia. Eam quoque potestatem habet hoc Ahiae oraculum, quo indicatur, certissime esse futurum, ut decem tribus trans fugae puriorem Dei proscirberent cultum, et ad vanam Gentilium transirent superstitionem. Optime praeuiderat Deus, facta tribuum separatione, decem illas tribus Ierobeamo addictas, magis, magisque ad idololatriam esse defecturas, easdemque eam coniici in rerum conditionem, ut in captiuitatem Assyriacam deductae, et hinc et inde disseminatae sanctiori Deum colendi rationi nuntium essent missurae. Et quamuis, facta illa deportatione Assyriaca, nonnulli ex fece ab Assyriis in terra patria relicti fuerint; attamen tam foedus illorum extitit cultus, tantaque mixtio huius populi cum peregrinis, in hanc terram missis, est enata, ut deforme aliquod religionis Iudaicae inde emerserit corpus. 2 Reg. XVII, 21. sq. Tempero mihi a verbosiori huius funestissimi status descriptione, quam diligenter persecutus est HERM. WITSIVS \*\*\*) Nec melior deinceps facta est harum decem tribuum facies

\*) Philolog. S. Lib. I. Tr. IV. Sect. I. can. IV. p. 317.

\*\*) De Interpretat. Script. S. p. 450.

\*\*\*) ΔεκαΦυλον seu Histor. de X. Tribub. Israeliſe Cap. III. p. 331.

cies. Licet enim nonnulli Israelitae ex his tribubus, soluta seruitute Babylonica, se Iudeis redeuntibus associarent, maxima tamen pars testibus, WITSIO \*) PRIDOSIO \*\*) et PHIL. LIMBORCHIO \*\*\*) rebus suis atque sedibus admodum addicta remansit, ut harum tribuum inter tot peregrinas gentes dispersarum propemodum exspirarit nomen, excideritque memoria. Nec mirum est largam quoque nostro aeuo in his terrarum tractibus obuiam esse segetem. Rerum suarum, nec non purioris cultus, ad turpitudinem usque, negligentes fuerunt hae decem tribus ad Ierobeamum transfugae, haud expendentes diuinorem Praepotentis Numinis cultum, sanctio ne haud violanda, templo Hierosolymitano esse adscriptum. Prodiderunt certe, hac insana defectione, insignem, et nunquam delendam levitatis ac impietatis notam, et maiori libertati inhiantes, Deo hocce execrando scelere turpiter denegarunt obsequium. Nemo igitur mirabitur, hos nefarios homines a Deo nec minus esse posthabitos, et suis rationibus valde ineptis penitus relictos. Permisit itaque Deus, ut hae decem tribus sua culpa deficientes, de quibus nunc omnis res erat deplorata, in varios

G 2 in-

\*) Le. c. Cap. V. p. 346. Cap. VII. p. 363.

\*\*) Histoire des Juifs. Tom. I. Part. 1. Liv. III. p. 241. sq. conf. Vet. et Nov. Test. in Connexione Iud. et aliar. Gent. Lib. III. p. 113. sq.

\*\*\*) De Veritate Relig. Christian. Amic. Collat. cum eruditio Iudeo. Script. III. Cap. II. p. 269.

inciderent scopulos, e quibus vix ac ne vix quidem sunt  
elutatae.

§. XXVI.

Quae decem tribuum iactura, licet admodum gra-  
uis sit et deploranda, tanta tamen non est, ut propterea  
promissio diuina, de Messia nascituro, ex tribu Iuda, et  
femine Davidis oriituro venerit in discrimen, quod est  
secundum rationum iam adferendarum caput. Promissio  
divini Numinis, de augustissimo generis humani hospitatore  
stato tempore venturo, tribum Iudeam, et Davidis gentem  
potissimum attingebat \*). 2 Sam. VII, 12. 1 Reg. XI, 34.  
2 Chron XII, 13. Priscis Patriarcharum temporibus haec,  
de Messia, stirpe Iudaica oriundo, promissio tenebris  
paulisper erat inuoluta. Data erat haec spes Abrahamo  
eiusdemque posteris, sed illa temporis tempestate ambigua  
erat, et incerta familia, quia Abrahami gens multas in  
familias, promisso ex diuino, fese distindere debebat Gen.  
XXII, 17. 18. Sanctissimus deinde Iacobus iam mori-  
bundus tribum digitō indicat indice, et multo luculentius,  
quam antea dictum erat, de Messia agit. Gen.  
XLIX, 10. 11. Dauides tandem, vt supra monui, tam  
felix fuit, vt ipsi promissum, de Messia sua sobole nascituro,  
exoptate contingeret. Quae si nunc tecum reputes  
argumenta, facile intelliges, foederi, quod cum primae  
Ecclesiae proceribus iniit, omni exparte stetisse Deum, et  
deperditae salutis vindicem ex tribu Iudeam, et familia  
Da-

\*) Iac. Gusselii Vesper. Groening. Colloqu. XX. p. 462.

Dauidis ad incitas redacta, eademque propemodum emortua, auspicatissime euocasse. Non immixuit, non euertit haec decem tribuum iactura suauissima, de Messia, oracula, et promissa omnium certissima; quia hoc illustre gentis humanae palladium stirpi Dauidicæ erat sacrum. Verum quidem est, has, quas saepe com-memorauit, decem tribus, hac infelicissima defectione, de ponte aliquo modo esse deiectas; non tamen expi-ravit propensa Dei erga tribum Iudeæ, et familiam Dauidicam voluntas, sed conseruata est viriusque propago, ad eos demum annos, quibus expectatus salutis desperdi-tae instaurator mundum salutare deberet. Maius omni-no huic tribui, quam reliquis Deus flatuit pretium, ac decus. Reliquiae tamen harum tribuum salute a Messia expectanda, hoc singulari gratiae divinae documento, neutri-quam sunt priuatae, sed omnibus spes salutis, si adop-tarint redemptorem, adhuc est superstes ac salua, Rom.

XI, 25. 26.

### §. XXVII.

Succedit *tertia* ratio, ab imminuta potentiae, ac pro-missionum, quibus se laetabant Iudæi, humanarum per-suasione petita. Iudæi, prout sunt animo admodum turrido, et rebus ad huius vitae bona pertinentibus ad insaniam et forditiem vsque dedito; ita potentiae sui regni, et palladio Hierosolymitano mirum in modum confidebant, quin et promissa a Deo data suo ex animo, ac desiderio, maximam qua partem, de felicitate hu-

mana

mana, et prospéro rerum suarum successu interpretabantur, non expéndentes, bene obseruante cAMP. VITRINGA\*) promissionibus, de rebus humanis factis bona diuina admixta esse atque aeterna. Ne igitur nimium suis viribus, et rebus sub Davide, ac Salomone oppido secundis, fragilique colori crederent, obicem Deus huic fastui ponendum, et hos corymbos egregie circumcidendos sapienter decreuit, ut demum intellexerent, summum omnium promissionum diuinarum ipfis concessarum apicem, in auspiciatissimo Messiae ortu, et salute per ipsum instauranda esse positum. Nec irritum fuit hoc sapientissimum Dei consilium. Etenim Iudaci, spe sua delusa, alto quasi ex sopore excitati intellexerunt demum, non esse mortale, quod optarent. Redierunt, teste IACOB. RHENFERDIO\*\*) his tempestatisibus perculsi, complures Iudeorum magistri ad saniorem mentem, ut dies Messianos magis sobrie explicarent, et eorundem felicitatem non amplius in naeniis, ac erepundiis, quibus omnes scatent Rabbinorum libri, sed in rerum diuinarum fructu, et salute aeterna recte collocarent. Quid? quod, quo tristior deinceps facta est Iudeorum facies, tanto ardentior fuit illorum erga Deum amor, tanta maior de Messia nascituro spes, tantoque maius eorundem tempora Christi videndi desiderium. Tot enim fortunae prorsus iniquae procellis iactati, praesentiam promissi

\*) Obseruat. S. Lib. V. Cap. III. p. 28. sq.

\*\*) I. op. Philologic. Diff. II. p. 52. sq.

Sospitatoris anxio expectarunt animo hi miseri Abrahami posteri. Non haec comminiscor, sed IAC. GVSSETIVS\*) et PHIL. LIMBORCHIVS\*\*) prolixo demonstratum iuerunt, Iudeos hac longa, quam satis temere fingunt, calamitate Babylonica, eo esse adductos, ut Messiae aduentum, nostra aetate, omnibus precibus desiderent, et Deum veluti ex machina diurnis, nocturnisque euocent suspiriis. Alii itaque Iudeorum nostro aeo his suaibus nuntium mittunt somniis, et ad Christianorum accedunt ciuitatem, alii vero durioris frontis aurea adhuc expectant Messiae saecula.

### §. XXVIII.

*Quarta* denique ratio suo non deslitui videtur pondere ac auctoritate, quae est purioris doctrinae, et cultus publici aliquo modo in tribu Iudei conseruatio. Haud inficiamur, religionem, et cultum sacrum a tempore huius diuisionis aliquam recepisse deformitatem, quae tamen a piis regibus, Iosia, Iosaphato, et Hiskia feli-citer est abstensa. Non negamus, noua enata esse postea in hac gente falsae doctrinae capita, exortis variis in illa sectis; attamen antiquior, eaque sanctior doctrinanon prorsus interiit, sed inter tot rerum mutationes usque ad Messiae tempora, inter sanctiores fuit adseruata, ita quidem

\*) Lib. Chizzuk Emunah. Part. I. Cap. V. p. 17. sq.

\*\*) Lib. supra cit. Tert. Script. Cap. III. p. 271. sq.


dem, ut verus gentis Iudaicae cultus in templo Hierosolymitano sedem habuerit quasi fixam. Emicuit etiam tempore Christi, et Apostolorum tot inter tenebras, et umbras antiquioris, et purioris religionis veritas. Salua adhuc erat Scripturae sacrae integritas, licet vitio temporis, et hominum temeritate acceperint traditiones per manus quasi datae et ex ingenio hominum compilatae, sed auctoritati diuinae valde noxae. Durauit sacrificiorum cultus in templo publicus, magna veneratione exhibitus, quamvis illi meriti opinio turpiter acceperit. Sarta adhuc erant sacramenta a Deo instituta, quorum studiosissimi fuerunt Iudei. Haec certe gloria Iudeis non est deneganda, illos vigilantissimos ac tenacissimos fuisse rerum, et institutorum diuinorum ad Messiae usque aetatem custodes. Nec optimus, maximus salutis instaurator eos hoc nomine castigavit, sed ea, quae legibus, et institutis diuinis, ex ingenio hominum acceperant, rei capita emendauit, improbavit, resecuit. Longe vero tristior fuit decem tribuum, circa doctrinam et cultum sacrum, ratio, quod nemo negauerit, nisi omnium rerum sit expers. Quae quum ita sint, hoc funesto Dei, de dividendis tribibus consilio, nulla omnino vis veritati, sapientiae, bonitati, sanctitati, et iustitiae diuinae est facta, nec ullum promissis diuinis, ob hanc secessionem, minus euenturis, illatum est impedimentum. Integra, et intemerata mansit Dei promissio! Durauit gens Dauidica ad Messiae usque tempora omnium felicissima. Superstes fuit verior Dei cultus huic popu-

populo demandatus, donec huic foederi legali mucronem attulerit Christus, lapis totius legis frontatus. Mittimus alia argumenta in seenam adhuc producenda, nec dubitamus, ea, quae iam allata sunt, tantae esse potestatis auctoritatisque, ut omnem labem Deo fruole adspersam, ipsi abstergere possint. Depraedanda potius est et laudum encomiis mactanda diuini Numinis erga hanc gentem munificentia, qua illam tot inter difficultates, deportationes, regni deuastationes, ruinas, caedesque conseruauit superflitem, donec vaticinia, et promissa ipsi olim data feliciter essent consummata, quin et vindicta eidem annuntiata, vsu, et euentu longe funestissimo ita confirmata, ut Iudeis Apellis nulla, ad oblitterandam suam impudentiam, et ignorantiam excusandam, relicta sit elabendi rima, quod praeter LIMBORCHIVM, et GVSSETIVM eleganter demonstratum dedit KIDD E R V S. \*) Summum ceteroquin Numen deuotis imploramus precibus, ut dispersas gentis Iudaicae tribus suo nutu dirigat, et easdem ad Christum, Pastorem omnium maximum ac fidissimum, pro sua in hanc Abrahami familiam munificentia, reuocet quam benignissime!

\*) Defense de la Religion contre les infideles et les Incredules. Tom. I.  
Demonstration du Messie, p. 139. sq.

## T A N T V M.

IENAE  
LITTERIS MARGGRAFIANIS.  
M D C C L I I.



M U T I A T






Fd. 2979



TA > 0 C

NC





B.I.G.



424

# HISTORIA REHABEAMI

EX  
ORACVLIS SACRIS ECCLESIAST. CAP. II, 18. 19.  
IREG. XII, ET ZCHRONIC. X, XI. XII.  
OBVIIS

ILLVSTRATA,  
ET  
COMMENTATIONIBVS PHILOGICIS  
AC HISTORICIS  
AVCTA,

A  
D. IO. RVDOLPHO KIESLINGIO  
PROF. PVBL. ORD. IN ACAD. LIPSIENS.



IENAE,  
EX OFFICINA MARGGRAFIANA  
MDCCLIII.

